

Benjamin Groddeck Franz Jacob Schalck

## **Dissertatio Philologica Viam Ad Notitiam Interiorem Lingvarum Originalium Præsertim Hebrææ Sistens**

Gedani: Schreiberus, [1757]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn815692358>

Druck Freier  Zugang



CIc-1626<sup>8</sup>







Q. D. B. V.  
DISSERTATIO PHILOLOGICA  
VIAM AD NOTITIAM INTERIOREM  
LINGVARUM ORIGINALIUM  
PRÆSERTIM HEBRÆÆ  
SISTENS

QVAM  
DIVINA FAVENTE GRATIA  
SUB PRÆSIDIO  
VIRI EXCELLENTISSIMI AMPLISSIMI  
ATQUE DOCTISSIMI  
DOMINI

M. BENJAMIN GRODDECK

GR. ET OO. LL. P. P. CELEBERRIMI  
PAUTORIS SUI ATQUE PRÆCEPTORIS  
OB QVAM PLURIMA VERE PATERNI IN SE AMORIS DOCUMENTA  
OMNI, QVA FILIUM DECET, PIETATE COLENDI  
A. R. S. MDCCLVII. AD. D. IX. M. AUG.

IN AUDITORIO MAXIMO

PUBLICE DEFENDET  
MUSIS PATRIIS VALEDICTURUS  
FRANCISCUS JACOBUS SCHALCK, GED.

S. S. THEOL. CULT.

GEDANI

TYPIS THOMÆ JOHANNIS SCHREIBERI, MAGNIFICI SENATUS  
ET ATHENÆI TYPOGRAPHI.

*Al. Tychsen*

020-1626

12/



FLORENTISSIMÆ REIPUBLICÆ GEDANENSIS  
PROCERIBUS INCLUTIS

VIRIS

ILLUSTRI, PERMAGNIFICIS, MAGNIFICIS, GENEROSIS,  
MAXIMEQUE STRENUIS,

DOMINO

CHRISTIANO GABRIELI  
A SCHROEDER

S. R. M. BURGGRABIO, VICE-PRÆSIDI, PRÆCONSULI SENIORI, PROTO-  
SCHOLARCHÆ, AC INSULÆ NÆRINGENSIS ADMINISTRATORI;

DOMINO

JOHANNI RENNER

PRÆSIDI, PRÆCONSULI, AC INSULÆ HELENSIS ADMINISTRATORI;

DOMINO

MICHAELI SCHMIDT

PRÆCONSULI, RERUM BELLICARUM PRÆSIDI AC TRACTUS  
MONTANI ADMINISTRATORI;

DOMINO

JOH. HIERONYMO BRØEN

CONSULI, CAMERARIO SENIORI ATQUE SCHOLARCHÆ;

DOMINO

CAROLO GRODDECK

CONSULI, CAMERARIO AC H. T. INSULÆ STUEBLAVIENSIS  
VICE - ADMINISTRATORI;

DOMINO

CHRIST. GOTTL. RØESLER

CONSULI AC CAMERARIO;

DOMINO



DOMINO  
GABRIELI SCHUMANN

CONSULI ET SCHOLARCHÆ;

DOMINO  
JOH. FRIDER. SCHUMANN

CONSULI ET SCHOLARCHÆ;

DOMINO  
CONSTANT. GOTTFRIED  
GRODDECK

CONSULI;

DOMINO  
GOTTLIEB GABRIELI  
WEICKHMANN

CONSULI;

DOMINO  
FRIDERICO GOTTLIEB  
FICHTEL

CONSULI;

DOMINO  
DAN. ERNESTO HECKER

CONSULI CIV. VET. ET H. T. JUDICI;

DOMINO



DOMINO  
GOTTFRIED LENGNICH

J. U. D. SYNDICO CIVITATIS PATRIÆ  
ET OLIM PRÆCEPTORI SUO PIE VENERANDO;

SUMME-VENERANDIS, EXCELLENTISSIMIS, DOCTISSIMIS

DOMINO  
FRIDERICO WILHELMO  
KRAFFT

S. S. TH. D.; R. M. I. A. C. SENIORI, ET AD ÆD. D. MARIE  
PASTORI PRIMARIO;

ET  
DOMINO  
ERNESTO AUGUSTO  
BERTLING

S. S. TH. D. ET P. P. O., ATH. RECT., ET AD ÆD. S. S. TRIN. PASTORI.  
PRÆCEPTORI SUO OMNI PIETATE COLENDO;

VIRIS  
PRÆNOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS  
DICASTERII URBIS PRIMARIÆ  
MEMBRIS

DOMINO  
DANIELI GRALATH

SENIORI;

DOMINO  
HEINRICO ZERNECKE

PRO-SENIORI;

\* 2

DOMINO

DOMINO  
JOHANNI CASPARO TESSIN

DOMINO  
CAROLO LUDOVICO EHLER

DOMINO  
JOHANNI NICOLAO  
OEHMCHEN

DOMINO  
SAMUELI WOLFF

AC  
RELIQUIS EJUSDEM DICASTERII  
ASSESSORIBUS  
JUSTITIAE MODERATORIBUS GRAVISSIMIS;

PRÆNOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO  
DOMINO  
BENJAMIN GOTTLIEB  
A SCHROEDER

DOCTORI MEDICINÆ EXPERIENTISSIMO;

PLURIMUM REVERENDIS,  
REVERENDIS AMPLISSIMIS DOCTISSIMIS  
DOMINIS

PASTORIBUS  
ATQUE  
DIACONIS,

INPRIMIS

INPRIMIS

MAXIME PLURIMUMQUE  
REVERENDIS AC DOCTISSIMIS

DOMINO

**M. NATH. FRIDERICO KAUTZ**

PASTORI AD ÆD. D. JOHANNIS MERITISSIMO;

DOMINO

**M. JOH. BENJAM. DRAGHEIM**

PASTORI AD ÆD. D. CATHARINÆ DIGNISSIMO;

DOMINO

**M. JOHANNI FIDALCKE**

PASTORI AD ÆD. D. BARTHOL. VIGILANTISSIMO;

DOMINO

**GEORG. FRIDERICO COSACK**

DIACONO PRIMARIO AD ÆD. D. MARIE MERITISSIMO;

DOMINO

**M. GOTTLIEB BORMANN**

DIACONO AD ÆD. D. MARIE DIGNISSIMO;

DOMINO

**JOH. CONRADO EICHHORN**

DIACONO AD ÆD. D. CATHARINÆ MERITISSIMO;

\* 3

DOMINO

DOMINO  
M. HERMANNO BORDEWISCH

DIACONO PRIMARIO AD ÆD. S. S. TRIADOS DIGNISSIMO,  
OB ANIMÆ CURAM IN SE SUSCEPTAM  
SUMMA PIETATE VENERANDO;

DOMINO  
DANIELI SEMERAU

SYMMYSTÆ AD ÆD. SPIRITUS SANCTI VIGILANTISSIMO,  
<sup>AC</sup>  
CÆTERIS RERUM SACRARUM  
CURATORIBUS;

VIRIS  
SUMMUM REVERENDO  
CONSULTISSIMO EXPERIENTISSIMO  
EXCELLENTISSIMIS ATQUE DOCTISSIMIS  
COLLEGII PROFESSORII MEMBRIS

DOMINIS  
RECTORI, INSPECTORI  
ET CÆTERIS  
VIRIS CLARISSIMIS

PARENTUM LOCO, OB INSTITUTIONEM FILIALI PIETATE  
PROSEQUENDIS;

NOBILISSIMO, DOCTISSIMO AC SPECTATISSIMO

DOMINO  
FRIDERICO WAHL

SECRETARIO HUIUS URBIS MERITISSIMO;

ADMODUM

ADMODUM REVERENDIS ATQUE DOCTISSIMIS

DOMINO

M. WILH. PAUL. VERPOORTENN

MINISTRO STUEBLAVIENSI VIGILANTISSIMO;

DOMINO

DANIELI HERM. RICHTER

MINISTRO AD ÆD. MICHAELIS MERITISSIMO;

DOMINO

CHRIST. JOH. TANNENBERG

MINISTRO GISCHCAVIENSI VIGILANTISSIMO;

NOBILISSIMIS, DOCTISSIMIS ATQUE SPECTATISSIMIS

DOMINO

JOACH. GOTTL. BARTHOLD,

DOMINO

CHRIST. GABRIELI FERBER,

DOMINO

JOHANNI SAMUELI FERBER,

DOMINO

CAR. LUDOVICO SCHUMANN,

SACELLI D. MARIE ANTISTITIBUS

SPLENDORE AC DIGNITATE CONSPICUIS;

NOBILIS-

NOBILISSIMIS AC GENEROSIS  
DOMINO  
CHRIST. HARTM. A SCHRÖEDER

PATRICIO HUIJUS URBIS FLORENTISSIMO;

DOMINO  
JOH. BENJAMIN ENGELCKE

CENTUMVIRO DIGNISSIMO;

DOMINO  
GOTTFRIED REYGER

PATRICIO HUIJUS URBIS FLORENTISSIMO;

NOBILISSIMO AC SPECTATISSIMO

DOMINO  
ALEX. MARTINO HEWELCKE

MERCATORI HUIJUS URBIS FLORENTISSIMO

AC CENTUMVIRO DIGNISSIMO;

MÆCENATIBUS

PATRONIS AC FAUTORIBUS

SUBMISSO ANIMI CULTU ÆTERNUM VENERANDIS,  
OBSERVANDIS, PROSEQUENDIS,

DISSERTATIONEM HANC CUM VOTO OMNIGENÆ

AC SEMPITERNÆ FELICITATIS IN SUI STU-

DIORUMQUE SUORUM COMMENDATIONEM

D. D. D.

TANTORUM NOMINUM

CULTOR OBSEQUIOSISSIMUS

FRANC. JACOB. SCHALCK

GEDANENSIS.

\* \* \*

וּשְׁבַח

VIA AD NOTITIAM INTERIOREM  
LINGVARVM ORIGINALIVM  
PRÆSERTIM HEBRÆÆ.

\* \* \* \* \*

§. I.

**D**e studiorum meorum Specimine quodam, Fautoribus æque ac Præceptoribus meis, non satis uenerandis, ante meum ex Patria discessum, publice exhibendo mihi cogitanti, sponte sese offerebat caput aliquod ex Philologia, uiam, qua ad notitiam linguarum originalium perueniatur, tangens. Obseruaueram nempe, ex quo disciplinam istam paulo curatius pertractare ceperam, Viros doctos in uia ista tradenda multum a se diffidere, quod disfidium inprimis circa linguam Hebræam eos teneret. Quamuis autem facile intelligebam, materiam hanc nobiliorem esse, quam ut a me, qui de leuissimo tantum Specimine cogitabam, rite pertractari possit; stimulum tamen mihi addere, animumque erigere PRAESIDI meo GRAVISSIMO, pro bona sua in me uoluntate, placuit, ut materix grauitatem non metuerem. Sentiebam quidem, quod & Lectores meos latere nolo, humeros meos tantos non esse, qui onus tale soli ferre possint; adminicula tamen a PRAESIDE meo GRAVISSIMO beneuole mihi promissa, nec non præsidium, quod tum in elaborando, tum in defendendo in se, ex uoto meo, suscipere uolebat, effecerunt, ut opus hocce aggredi tandem auderem. Primarius uero scopus meus, quem intendi, linguam Hebræam respicit, circa quam inprimis diffidia illa animaduerteram. Experientia enim breui satis edoctus eram, *Viam ad notitiam linguarum interiorem* nullam aliam dari, nisi per Grammaticam rite constitutam, & assiduam Auctorum lectionem. Hinc concludebam, eandem uiam quoque ad notitiam linguæ Hebrææ patere debere, neminemque, nisi per duo hæcce adminicula, eo peruenire posse. Multum tamen conclusionem meam fallere intelligebam, ubi placita Eruditorum contemplantur. Grammaticas enim Hebræas, quas peruoluere mihi licuit, ejus inueniebam conditionis, ut paucis titulus iste conuenire uideretur. Cel.

A

SCHVL-



SCHVLTENSII methodum ex Praelectionibus PRÆSIDIS mei EXCELLENTISSIMI addidiceram, oculis tamen meis sese alia scripta objiciebant, quæ id, quod recte a SCHVLTENSIO positum esse judicabam, refutare studebant, scrupulumque haud leuem mouebant. Si alteram partem uia istius cogitabam, a quamplurimis destitutum me sentiebam, qui ridere uidebantur alios; qui ad Scriptorum lectionem hic prouocabant, quum præter sacros, eosque exigui numeri, alii non prostant. Hisce scrupulis agitated miseram linguæ Hebrææ conditionem conquerebar, quæ id fastigium huc usque concendere non potuerit, ut circa ejus notitiam acquirendam sic conuenirent Eruditi, prout circa alias linguas conspirare solent. Quanquam autem ualde dubitantem me reddiderant diuersa Eruditorum sententiæ, argumenta tamen eorum, qui eadem uia hic incedendum esse, qua in aliis linguis utimur, præcipiebant, sic comparata mihi esse uidebantur, ut præpondium in balance ferrent. Hæc uero sunt, quæ cum Lectoribus meis communicare mihi proposui, ut ipsi judicare queant, num ea uel recte intellexerim, uel rite meo aptauerim scopo. Series itaque cogitatorum meorum ita a me disposita est, ut primo remotiue ostendam, qua ratione notitia interior linguarum originalium, & inprimis Hebrææ non acquiratur; deinde uero ipsam Viam ordinariam eo perueniendi aperiam, eamque per duas partes suas confirmare annitar.

## §. II.

Ea mihi semper uisâ est Codicis sacri utriusque Testamenti conditio, ut sine linguarum originalium notitia interiore, ad sensum uerborum uerum recludendum aditus haud detur. Quamuis enim insigne hocce inter Scripturam Sacram, aliosque libros profanos discrimen intercedat, ut ista ui interiore polleat, qua lectorem ad agnitionem ueritatum mouere ualet, id quod in Theologia pluribus probari solet; in eo tamen cum his conuenit, ut ea, quæ proponit, uerbis exprimat, quæ sensum quendam, a lectore eruendum, exhibent. Quemadmodum autem uerba cogitationum signa esse solent; ita signa ista perspecta sint ei necesse est, qui eundem sibi conceptam, quem signis istis scriptor intendit, formare uelit. Res hæc mihi tam euidens uidetur, ut eam obscurare uelle uiderer, si ad illustrationem ejus multa adderem. Liceat tantum mihi hoc unicum obseruare, non quamcunque uagam linguarum Originalium notitiam id nobis præstare, quod ad sensum uerborum recludendum requiritur, sed *interiorem* intelligentiam exigî, quæ eo nos ducat. Neque enim is statim uerborum interpres habendus est, qui limina forte harum discipli-

disciplinarum salutavit, quum ejusmodi scientia sese ultra limina non extendat. Nemo puerum quendam Ciceronis interpretem sibi sumet; nemo Xenophontis explicationem a tirone expectabit; nemo Iesaiam manibus juvenis permittet, qui cum nobis explanet. Requiritur dies, assiduitas summa, experientia longa, judicium subactum, si quis hic feliciter progredi contendit.

## §. III.

Tantum autem studio linguarum originalium, ad sensum uerborum cognoscendum, inesse commodi & usus arbitramur, ut neque per *Versiones*, neque per *Contextum*, uel *Parellisimum* ad certitudinem sensus ueri penetrare ualeamus, si notitia ista deficiat. Quod quum nemo statim sine probatione nobis sit concessurus, sententiam nostram sigillatim esse corroborandam intelligimus.

## §. IV.

Quod ad *Versiones* attinet, earum usum haud exiguum esse, non inficiamur. Negamus tamen, eas id nobis præstare, quod hac in re iis forte tribuitur. Nulla namque uersio, quanta quanta sit, licet quoque ad fontes quam proxime accedat, ipsis fontibus est æquiparanda, quum nulla omnem pulcritudinem & emphasin linguæ originalis exprimere ualeat. *Omnes enim linguæ, ut uerbis Cel. SCVLTENSII utar, a) habent aliquid priuum, singulare, domesticum, suum, tum in propriis, tum in impropriis, uel figuratis locutionibus, in prouerbiis quoque, aliisque constructionibus minus ordinariis, quod in aliam linguam, eadem uirtute, dignitate, uenustate, amplitudine, Emphasi, rarissime transfundi potest.* Sic Hebræus aliter loquitur quam Græcus, Græcus aliter quam Latinus, Latinus aliter ac Gallus, Gallus aliter quam Germanus, nec temere omnes sic conciliare, formulasque loquendi, toto sæpe cælo a se inuicem differentes, quarum quaelibet genium linguæ suæ exhibet, sic transferre poteris, ut natiua uniuscujusuis linguæ uis ac proprietas retineatur, quin, si uel eo peruenire posses, ita in translatione ne agere quidem tibi licebit. Unde uersio, qualiscunque ea conditionis aut perfectionis reputetur, quæ linguam originalem quandam hac in re imitari studet, nullius pretii erit æstimanda, quippe quæ, genium linguæ, in quam transfert, proponens, ipso textu originali obscuriorem se præbet. Dantur namque, ut paulo pressius insistam, in linguis orientalibus innumera phrasæ tropicæ, genio gentis istius accommodatæ, exque hac ex ratione uenustissimæ,

A 2

simæ,

a) In uia Regia Hebraizandi, p. 39.

simæ, quas genio occidentali uel duras, uel parum congruas dixeris. Has si in translatione retinere uelles, in indolem linguæ istius, in quam uersio instituitur, non tantum peccares, sed rem tuam male quoque ageres, quum translationem tuam nemo, linguæ ejus peritus, intelligeret. Hoc in AQVILA jam animaduertit HIERONYMUS, quando ad PAMACHIUM sic scribit: b) *Aquila profelytus & contentiosus interpres, qui non solum uerba, sed etymologias quoque uerborum transferre conatus est, jure projicitur a nobis. Quis enim pro frumento, & uino, & oleo possit uel legere, uel intelligere χευμα, ὀπωρισμον, εὐλογοῦντα, quod nos possumus dicere, fusionem, pomationemque, & splendentiam. Quanta enim apud Græcos bene dicuntur, quæ, si ad uerbum transferamus in latino, non resonant, & e regione, quæ apud nos placent, si uertantur juxta ordinem, apud illos displiscebunt.* Idem in eadem Epistola ex præfatione in EVSEBII Chronicon repetit, quando scribit: *Difficile est, alienas lineas insequentem non alicubi excidere, & arduum, ut, quæ in alia lingua bene dicta sunt, eundem decorem in translatione conseruent. Significatum est aliquid unius uerbi proprietate: non habeo meum, quo id efferam, & dum quæro implere sententiam, longo ambitu uix breuis uis spatium consumo. Accedunt hyperbatorum anfractus, dissimilitudines casuum, uarietates figurarum, ipsum postremo suum, & ut ita dicam, uernaculum linguæ genus. Si ad uerbum interpretor, absurde resonant; si ob necessitatem aliquid in ordine, uel in sermone mutauero, ab interpretis uidebor officio recessisse.*

## §. V.

Ad illustranda asserta hæc nostra unum atque alterum capiamus exemplum, ex quibus pateat, quam horrida existat uersio, quæ figuris linguæ originalis stricte insistit. Eo se præbet ex Hebræis inter alia uocabulum נַס, quod signantissimis phrasibus & constructionibus ansam dedit. Utut enim in se *nasum* denotare solet: ita ad diuersos tropos id uocabuli extenderunt Orientales, quos, si alia lingua imitari uolueris, non risui tantum, uerum etiam contemptui te exponeres. Arabes namque, ut ex GIAVHARIO aliisque adduxit Cel. SCHULTENSIUS, c) omnem rei anteriorem partem *nasum* uocant. Sic *nasus dentis prominuli* est extremitas ejus, quum primum prodit; & *nasus montis* est eminentior ejus pars; nec non *nasus frigeris* pro summa ejus uehementia uenit. Nasus hinc ad uehementiam translatus; ut phrasis: *feruido naso præditus est,*  
frequen-

b) Epistola CI.

c) De defectibus L. H. p. 230--243.

frequentetur in eo, qui multum habet uehementiæ, & facile ad iram concitatur. Nasus porro usurpatur pro indole generosiore, & celsos Spiritus gerente, pro grauitate & maiestate, quæ reuerentiam sui semper intactam & illibatam seruat. Sic e. gr. *hortus naso præditus*, pro intacto & illibato, *poculum naso præditum* pro eo, quod nemo unquam degustauit. Has uenustissimas figuras si quis in linguam aliam transfundere uellet, & ad hunc ductum germanice, die Nase der Zähne, des Berges, des Gartens, phrasés istas uertere uellet, is a Germano non tantum non intelligeretur, sed neque sine risu legeretur. In Sacris frequentissimus usus nasi de ira & efferuescentia adhibetur. Solemnis namque formula est אף חרה exarsit nasus, uulgo ira. Sic ארך אפים longus nares, & קצר אפים breuis nares, quæ uulgo ad iram & indignationem relata proprietatem suam a naso desumere. Jam uertat quis formulas istas ad genium orientalem in suam linguam, & stomachum lectoris mouebit. Parum congrue ergo ista figura in alia quadam lingua retinebitur, in qua usus eam haud admittit. Apud Græcos quidem *μωκτης* & *μωκτηρίζω* sub eadem figura occurrunt, ut *iram*, *fastidium*, *subsannationem* designent, quemadmodum & Latinis phrasés, *naso adunco suspendere*, pro ludificare, *nares corrugare* pro fastidire, aliæque placuerunt. Verum si copiam structuræ orientalis in translatione ubique retinere uolueris, horrida inde enascetur uersio. Aliud ex multis aliis exemplum e Latinis desumam, quibus *stomachus* & *stomachari* de commotione mentis frequentatur. Transferat jam aliquis phrasin CICERONIS: d) *ille mihi risum potius quam stomachum mouere solet*, er pflegt mich mehr zum Lachen, als den Magen zu bewegen, uel alteram: *non sine stomacho legere*, nicht ohne Magen lesen, & nec ipse ea, quæ transtulit, intellexisse uidebitur. Similes phrasés sunt: *jugulare uinum & curas*, *maclare hostiam*, quæ, si sub eadem figura in alias linguas transfundantur, omnem suam uenustatem ac pulcritudinem amittunt, atque normam loquendi, quam usus præscribit, offendent. Patet ergo ex breuissimis hisce speciminibus, illud priuum & suum, quo unaquæque lingua prædita est, alia lingua eadem dignitate & uirtute exprimi rarissime posse, atque interpretem ab officio sibi iniuncto multum discedere, si iisdem figuris in translatione uti uoluerit.

§. VI.

Quid uero uersionibus, quibus instructi sumus, siue Græcam Veteris, siue Latinam utriusque Testamenti spectes, in genere tribuendum sit,

A 3

id

d) Ad Atticum 6. 3.

id Eruditi diu obseruarunt. Utut enim nulla ad id fastigium ascendere potuit, ut omnem neruum dicendi ubique exhauriat: ita uitii hic illic laborant, & sensum sæpe contrarium reddunt ei, quem textus Hebræus offert. Id uariis exemplis probatum dederunt Eruditi, neque nostrum erit hic iterum inde transcribere, qua de re B. LOESCHERUS e) S. V. CARPZOVIVS, f) Cel. SCHULTENSIUS g) aliiqne abunde testantur. Proinde Versionibus istis fides cæca non erit tribuenda, quum, notitia linguæ originalis destitutus, de sensu uero nunquam certus esse possis, sed in eo, quod alii forte uiderunt, acquiescere, aliorumque oculis & iudicio uti te oporteat. Ex quibus omnibus conficitur, per solas Versiones, sine penitiorie linguarum originalium notitia, aditum ad sensum eruendum non patere.

## §. VII.

Inter media ad sensum Scripturæ S. inuestigandum non immerito ab Eruditis *Parallelismus* referri solet. At a uero me discessurum haud puto, quando assero, illum sine notitia linguarum Originalium, parum aut nihil prodesse. Quamuis enim B. RAMBACHIO h) facile largiar, *haud postremum interpretis S. instrumentum Parallelismum esse, quo Scripturas explanare discimus; quamuis porro & id concedam, mentem DEI atque sententiam non aliunde rectius intelligi, quam ex Scriptura, diuino adfatu edita & consignata, prout mentem Platonis uel Augustini non aliunde, quam ex eorundem Scriptis certius petimus: id tamen nullo mihi modo persuadere possum, de Parallelismo alicui constare posse, quem uerba ipsa Scripturæ fugiunt.* Siue enim uerbalem siue realem Parallelismum contendas, ejusque fundamentum in perpetuo Scripturæ consensu ponas, inuictum tamen manebit id, quod postulamus, ut nempe de uocis aut phraseos notione certus sis, antequam ex parallelismo subsidium quærare ualeas. Ad dicta hæc clarius illustranda, retinebo idem exemplum, quod B. RAMBACHIVS adduxit. *Quando Jer. XVII, 9. inquit, de corde hominis dicitur, quod sit אנוש, conferrri potest Jer. XV, 18. ubi dicitur מכותי אנושה plaga mea est desperata, siue insanabilis: item Mich. I, 9. אנושה מכותי desperata est plaga ejus: ex quibus locis apparet, Jeremiam dicere uoluisse, malitiam cordis humani nulla humana acie sanari posse.* Diceres jam, RAMBACHIVM ex Parallelismo hunc sensum eliciisse. Verum ego firmiter credo, si de notione radicis istius nihil illi constitisset,

e) De Causis L. H. C. X. §. XXII. p. 146.

f) In Critica S. V. T. P. II. C. II. p. 513 sqq.

g) In Originibus &amp; defectibus passim.

h) In Hermeneutica S. L. II. C. IX. §. V.

constitisset, nec ex locis istis significatum istum addiscere eum potuisse. Et obseruat idem RAMBACHIUS i) *Parallelismum uerbalem non semper sufficere ad litem dirimendam, quum sæpissime in diuerso contextu eadem uox ac locutio diuersum nanciscatur significatum.* Quibus uerbis ipse fateri uidetur, significatum uocum ex locis parallelis non tuto addisci. De Parallelismo reali nihil hic obseruabo, quum iste uerbalem supponat. Res enim signatas nemo intelliget, cui signa sunt ignota. Præterea ea, quæ Parallelismo uerbali adscribi solent, ad ea tantum loca forte erunt applicanda, quæ Parallelismum agnoscunt. Verum si quæstio est de uocabulo, semel tantum in Sacris occurrente, ubi Parallelismus locum non inuenit, tunc certe, nisi notitia linguæ originalis probe sis imbutus, ad scopum haud penetrabis. Scio quidem, seriem sermonis sæpe hic in subsidium aduocandam esse, quo in casu Hermeneutici Contextum accurate considerandum præcipiunt. Verum iidem Doctores fatendum necesse habent, Contextum nonnunquam nos deserere, atque rem per coniecturam conficiendam esse. k) Sed uereor, ne hoc modo interpretatio ejusmodi fundamento admodum lubrico nitatur. Contra hocce consilium jam CLERICVS l) necessaria monuit, *bac in re, inquietans, facillimum esse falli, quum plures sensus uni eidemque loco conuenire queant, nec nobis interdum Scriptoris scopus satis pateat. Solent autem, pergit, potissimum duobus modis falli interpretes in ejusemodi phrasibus aut uocabulis; quod attendant præconceptas notiones, quas ipsi habent earum rerum, de quibus sermo est, quum sæpe scriptor, quem interpretantur, easdem non habuerit; & quod eam sententiam statuunt sine dubio esse optimam, qua posita, elegantior aut ualidior est scriptoris ratiocinatio, quum sæpe neque elegantiam illam captauerit, neque demonstrationes adferre uoluerit.* Hinc alii ad linguas cognatas orientales confugere suadent, rati, felicius hic neminem uersari posse. Quam sæpe autem a uero sensu aberrauerint ii, qui ex Contextu, per coniecturam, uocabulum aut phrasin reddere studuerunt, uariis exemplis Cel. SCHULTENSIUS comprobauit, quippe cujus studium omne eo tendebat, ut firmam uocum notionem, ex linguæ usu in dialectis uigente, stabiliret, quo de Commentarii Ejus, uterque de Originibus liber, nec non opus de defectibus hodiernis L. H., aliaque Ejus scripta omni fere pagina testantur. Nonne ergo notitia linguæ interior id, quod contextu aut Parallelismo

i) cit. loco p. m. 284.

l) De arte Critica P. I. Cap. IV.

k) Conf. idem RAMBACHIUS c. l. p. m. 274.

p. m. 108.

rallelismo deficit, supplere debet, sine qua nemo de interpretatione sua, si uel uera sit, certus esse poterit?

## §. VIII.

Non possum mihi temperare, quin id, quod modo adstruxi, exemplo quodam explanem, ut, quantum ii, qui Notitiam illam interiorem linguæ originalis tam necessariam haud esse arbitrantur, a uero tramite aberrent, dilucescat. Desumam id ex libro primo *Originum*, quod mox ab initio Capitis primi legitur. Enucleauit, Vir post fata Summus, thema בלג, quod quinque in locis tantum in Sacris obuium est, in unica specie Hiphhil. Loca sunt Job. IX, 27. C. X, 20. Pf. XXXIX, 14. Jer. VIII, 18. Amos V, 9. *Hujus uero radices, inquit, significationem, si ex ueteribus quæras, non tantum spem ludent, uerum etiam haud paulo incertiore dimittent, quam accesseris. Primus in Jobo locus sic habet פני ואבליגה, quem LXX. reddidere στυγνυψας τω προσώπῳ σεναζω. Vulgatus uero transtulit: Commuto faciem meam & dolore torqueor. Qui uero Græci הבליג hic dedere per σεναζειν, altero loco Jobi per ἀναπασσάσαι uertunt, atque sic inconstantiam suam satis clare produunt: Constantior quidem hic Vulgatus, doloris notionem retinet, sed eam inuito Jobo imponit. In Psalmo thema nostrum οἱ ὁ per ἀναψυχειν transtulere, in quo Vulgatus eos sequutus est, reddens: remitte mihi ut refrigerer. In loco Jeremie uterque in dolorem suum recidunt, a qua notione iterum in Amosi uerbis recesserunt, ubi LXX, ὁ διαίρων συντριμμον ἐπι ἰσχυρ, Vulg. Qui subridet uastitatem super robustum. Aliæ uersiones antiquæ, Syra, Arabica, Chaldeus interpres, mox cum *Versione græca*, mox cum *Vulgata* conueniunt, mox quoque nouum præbent conspectum, prout Chaldeus in loco priore Jobi, & in Psalmo excitato notionem confirmandi & abeundi addidit. Præterea Rabbinos, excitat, qui Chaldeum sequentes thema הבליג per confirmari uel confirmare se, אתגבר uel אתחזק uel אתאפק interpretati sunt, a quibus etiam deriuandum uidetur, quando notiones istæ: confirmari, corroborari, refici, recreari, *Lexica* & *Commentarios* peruaserunt. Recentiores eadem legunt uestigia, atque fundamentum aliquod in transpositione literarum inuenisse sibi uisi sunt, quando cum *Latinorum* focillo conuenire, transpositis scil. ג & ה contendunt. Hoc AVENARII figmentum arrisit quoque aliis, quod ejusdem mihi quidem indolis uidetur esse, ac LVDOV. THOMASSINI m) collatio thematis nostri cum Teutonico *Flucken*. Si ab hac parte res Hebræa flare*

m) In Glossario h. u.

stare debet, uereor, ne tota cadat. Ex breuissimis stricturis hisce sole clarius patere mihi uidetur, uiam admodum incertam esse, si relicta indole linguæ, ex solo parallelismo notiones figere, atque significatus definire uolumus. Si scopus noster id permetteret, facili negotio ea, quæ ad notionem thematis hujus constituendam, atque locis istis applicandam requiruntur, ex Eodem laudato Auctore subicere possemus. Sed nunc satis habemus ostendisse, loca parallela id non præstare, quod ipsis ab aliis tribui solet, prout ex eodem exemplo nunc adducto constabit, quam exigua fides Versionibus sit habenda.

## §. IX.

Analogiam fidei commune principium esse, ex quo omnis interpretatio Scripturæ judicari debeat, extra omnem quidem dubitationis aleam positum est: multum tamen falleretur is, qui sibi persuaderet, sensum loci cuiusdam ideo uerum esse debere, quia fidei analogiæ non repugnat. Dispiciendum namque erit, num sensus quidam erutus, licet cum Analogia fidei consistere possit, inter alia ueri sensus criteria etiam Analogiæ linguæ respondeat, nec ne? Experientia enim edocemur, expositionem uerborum fidei quidem Analogiæ conformem, sensumque, ex dicto quodam erutum, in se spectatum, uerum esse posse: nec tamen inde concludere licet, eum cum analogia linguæ quoque conuenire, idque exprimere, quod scriptor facer eo loco intendit. Optime hic B. RAMBACHIUS n) iudicat, quando consequentiam a sensu, Analogiæ fidei conformi, ad sensum uerum, & ab auctore intentum, falsam esse pronunciat. *Possunt namque, inquit, nonnunquam uerba plures sensus ferre, quorum nullus in Analogiam fidei impingit - - - Necessè igitur est, ut & reliqua sensus ueri criteria in subsidium uocentur, nisi quis falli ac fallere uelit.* Ad ista uero criteria ueri sensus genuina, uocumque phrasiumque significatio requiritur, quam nemo sine notitia linguæ interiori tuto finire ualet. Quamuis itaque optima sit conclusio, sensum uerum esse non posse, qui Analogiam fidei offendit: minus rite tamen aliquis inferret, sensum cum Analogia fidei conuenire, adeoque uerum esse. Unde liquet, ad sensum loci cuiusdam, juxta fidei Analogiam, uerum constituendum, *notitiam interiori linguæ originalis* requiri. Possemus & hæc asserta nostra uariis comprobare exemplis, sed rem clariorem esse putamus, quam quæ exemplis adhuc confirmetur. Quod si

B

uero

n) In Hermeneutica S. Lib. II. Cap. I. §. VIII. pag. m. 105.



uero quis ea forte desideret, consulat excitatum RAMBACHIUM, o)  
& quo sitim restinguat, inueniet.

## §. X.

Ut autem pateat, quousque terminus iste, quo hactenus usi sumus, quando notitiam interiorem linguarum originalium ab interprete requisiuimus, sit extendendus, breuibus conceptum ejusdem formabimus, ex quo reliqua, quæ nunc sumus prolaturi, erunt dijudicanda. Intelligimus autem per *notitiam linguæ interioris* eam animi facultatem, qua ea, quæ ad linguæ usum pertinent, clara & perspecta habet. Prouocamus in hoc conceptu ad usum linguæ ea ex ratione, quia omnia, quæ de lingua dici possunt, inde fundamentum suum desumere debent. Quascunque enim Grammatices partes percurras, omnes de eo, quod u. gr. in declinando, conjugando aut construendo, usu receptum est, loquuntur. Neque uero aliter se res habere potest per naturam linguæ. Inprimis autem iste usus in significatibus uocum, phrasiumque constructionibus est consulendus, quo neglecto omnia perturbantur atque sedibus suis mouentur. Unde HORATIUS egregie canit p).

*ut syluæ foliis pronos mutantur in annos  
prima cadunt: ita uerborum uetus interit ætas,  
& iuuenum ritu florent modo nata uigentque.  
multa renascentur, quæ jam cecidere, cadentque  
quæ nunc sunt in honore, uocabula, si uolet usus;  
quem penes arbitrium est, & uis & norma loquendi.*

Sane, qui ad id non attenderit, quod usus linguæ præcipit, is nunquam officium interpretis boni implebit. A priori enim hic aliquid definire, aut substituere uelle, nihil aliud est, quam naturam linguæ immutare, atque talia linguæ tribuere, quæ ea non admittit. Peruerfissimam dices hanc agendi rationem, qua linguæ obtruditur id, quod ea pro usu suo respuit. In figendis ergo uocum notionibus ante omnia de eo solliciti esse debemus, ut dispiciamus, num conceptus iste, uocabulo cuidam assignatus, in usu linguæ fundatus sit, nec ne? Quem enim tu, aut alter, & idem tertius sibi de uocabulo quodam forment conceptum, ego quidem parum curauerim, nisi usus linguæ eum confirmet. Quantum uero hac in re a Viris doctis peccatum sit, imo hodiernum peccetur, ego quidem dijudicandum in me suscipere nolo. Loquantur ii, qui

o) In den Erläuterungen über seine Hermeneutic. ad P. II. C. I. § 8. p. 340; 341.

p) In arte poetica v. 60 sequ. v. 70 sequ.

qui nomen in orbe erudito tacti sunt, atque dicendi auctoritate majore pollent. Primus, quem hunc in finem excitabo, fit B. LOESCHERUS, q) qui *systema Bohlianum*, quod nihil minus, quam usum linguæ attendit, sic infringit: *Solet ille omnes, quæ radici cuidam tribuuntur, significationes, cum illis, quas deriuata ejus habent, conjungere, iisque cunctis, tanquam speciebus sub uno genere collatis, latam aliquam, generalem, & abstractam radicis significationem excogitare, quam formalem uocat, atque nullibi non obseruari putat.* - - *Viam hanc, quam elegit, nec sufficientem fini, nec certo instructam fundamento, nec utilem esse, imo potius periculum non leue creare, dudum & Philologi & Theologi magni nominis judicarunt.* - - - *Fundamentum totius operis ingenium Doctissimi Viri est, incertum profecto & lubricum.* Idem de BOHLIO sentit Cel. GUSSETIUS r), quamuis nec ille ab hoc uitio purus fit s), cui B. PFEIFFERUM aliosque plures addere possem, nisi ea, quæ adduxi, sufficere mihi uiderentur. Hisce uestigiis, quantum mihi cognoscere datum est, B. STOCKIUM quoque inlittere uideo, ubi radicibus *generalem* significatum tribuit, quem nullibi usu linguæ confirmat. Ut unicum ex centenis adducam exemplum, de radice קצף sic calculos ponit: *Generatim notat separationem, connotata rei extremitate, unde deriuatum קצף seu מקצף generatim importaret omne id, in quod extremi & præcisi ratio ullo cadere potest modo.* Quod si uero quis de generali isto significatu certus esse uelit, disquirendum ei erit, num ille usu linguæ confirmetur, nec ne? Etenim si uerbum istud hunc significatum generalem nullibi uel tenet, uel tenuit, contra uim & normam loquendi eum statuerem, linguæque aliquid tribuerem, quod ea ignorat. Merito ergo ad usum linguæ prouocauimus, de quo probe constare debeat illi, qui notitia linguæ interiore præditus dici uelit.

## §. XI.

Ufus autem linguæ eo amplior euadit, quo major linguæ cujusdam copia est, & amplitudo. Copia uero linguæ ex toto ejus ambitu judicari solet, ita, ut nec Dialecti hic sint excludendæ, si lingua quædam eas agnoscat. Dialectus enim, quum unius ejusdemque linguæ idioma diuersum sistat, ad linguam eam, ex qua enata est, pertinet, atque cum eadem unam communem linguam constituit, cujus differentia ad externa tantum pertingit, internam autem faciem haud uitiat. Unde Diale-

B 2

ctus

q) De Causis L. H. p. 133. 134.

s) Conf. Cel. SCHULTENSII Origin.

r) In præfatione Lexici L. H.

Hebr. T. II. C. VII.

ctus cum lingua sua tam arctam habet relationem, ut utriusque usus pro uno eodemque haberi, atque Dialectus ut pars aliqua linguæ considerari possit. Quodsi ergo linguæ usum, pro tota ejus copia, considerare uolueris, Dialecti hinc non erunt segregandæ, si lingua iisdem gaudeat. Probat asserta hæc nostra u. gr. lingua Græca, circa quam ita uersantur Eruditi, ut in ea interpretanda usum linguæ, quem ex Dialectis simul repetunt, in subsidium uocent, rejectis omnibus istis conceptibus cerebrinis. Sic Eruditi admittunt; formam ἀφείνται Luc. VII, 48. esse Perfectum Indicatiui passiu, ex dialecto Attica, pro ἀφείνται; κατάβα Jonice esse positum, pro καταβασι Matth. XV, 30; σίναπι Dorice pro σινηπι Marc. IV, 31. ἡσθα pro ἡς Æolice Matth. XXVI, 69, ἐδολισαν Bœotice pro ἐδολισεν Rom. III, 13, &c. &c. t) Quod uero de lingua Græca admittunt Eruditi, idem pari jure de lingua Hebræa pronunciamus, quod, quamuis a plerisque in dubium uocetur, nobis tamen tam manifestum uidetur, ut linguam Hebræam a natura linguæ plane differre, atque interna quadam sanctitate gaudere, asserere teneatur is, qui uel minimum hac de re dubitat. Scopus noster non permittit, ut asserti hujus probationem nunc suscipiamus. Interim tamen quædam hac de materia annotasse iuuabit. Missis ergo argumentis historicis, quæ pro ueritate asserti pugnant, sola experientia nos docebit, idioma Arabicum, Aramæum atque Hebræum tam arcte inter se conuenire, ut diuersos unius stirpis ramos ea ultro agnoscas. Et quod ad idioma Arabicum imprimis attinet, audacter pronuncio, tantam uix ac ne uix quidem afinitatem inter Dialectos Atticam & Jonicam regnare, quanta inter istud & Hebræum uiget. Nulla certe Grammatices pars datur, quæ non summam cum Hebræa gerat conuenientiam, neque ulla utriusque datur differentia, quæ Dialecti naturam excedat u): Quum itaque experientia, qua nunc tantum nitor, aperte testetur, Linguam Hebræam Dialectis gaudere, usum quoque ejusdem eo usque extendendum habemus, ut, si quid in ea non satis constet, ex iis lucem ac subsidium quæramus.

## §. XII.

Præstructa idea notitiæ interioris L. H., jam dispiciendum erit, qua ratione ea acquiratur. Datur autem duplex Via, qua ad eam peruenimus, altera *theoretica* altera *practica*. Prior *præceptis Grammaticis*, posterior

t) Conf. Clar. JOH. SIMONIS Introductio grammatico-critica in Lingu. Gr. S.IX. §. 1. p. 207sq. & S.XI. §. 5. p. 239sq.

u) Conf. PRÆSIDIS GRAVISSIMI Dissertatio: de Natura Dialectorum.

posterior assidua *Auctorum lectione* absolvitur. De utraque pro scopo breuibus. Quicumque ergo notitiam illam sibi acquirere statuit, primo ad Grammaticam se conferat, necesse est, *ut nempe*, uerba sunt B. RAMBACHII x) *nominum uerborumque formationes, paradigmata, constructiones, totiusque linguae naturam & analogiam distincte teneat, id quod sine solidis Grammaticæ principijs fieri nequit.* Neque uero quæuis Grammatica huic fini satisfaciet, sed ista demum hac prærogatiua gaudebit, quæ, *ut regulas dat, quantum fieri potest, uniuersales & constantes;* sic eas non ex parte quadam linguae, sed ad totum ejus ambitum instruit, atque *Anomalias, quas linguae adfectas inuenit, ad justam ejusdem analogiam reducit.* Ejusmodi Grammaticam dixeris bene constitutam, quippe quæ unice id præstat, quod ad notitiam linguae interiorem nos ducit.

§. XIII.

Ad Grammaticam bene constitutam, uel constituendam requirimus primo, ut regulas linguae sic ordinet, *quæ, quantum fieri potest, sint uniuersales & constantes.* Vitium Grammatices uulgo habetur, in qua regulæ ita figuntur, ut quædam tantum exempla iis subijcere possis, alia uero inter exceptiones referre opus habeas. Ejusmodi namque regulæ ne nomine quidem regularum dignæ sunt, quum discenti prodesse nequeant. Si e. gr. y) *regula datur, literam y in speciebus dage-shatis compensationem auersari,* & sub eadem mox duo exempla, quæ contrarium probant, subijciuntur; ego quidem istam regulam nullius pretii esse existimarem. Et sic res in reliquis quoque se habet. Merito itaque ejusmodi Grammaticam inter laborantes referimus, quippe, quæ linguam, incipientibus, non sine summa difficultate addiscendam, proponit, atque, ut ipsi linguae imputetur, quod culpa Grammaticorum factum est, efficit. Hoc uero uitium, si in ullam aliam Grammaticam irrepfit, in Hebræa certe radices jecit altissimas. Neque pro diuersis systematibus, quæ Eruditi sequuti sunt, aliter fieri poterat. Inprimis autem *Literaturæ Hebrææ* obfuisse uidetur sententia ista, quam *CEL. GUSSETIUS* tuctur, linguam Hebræam *sibi soli sufficere, nec ullius opis indigam esse.* Sic nulla usus linguae ratione habita, sed ad Codicem sacrum tantum adstricta, aliæ inde regulæ emanare haud potuerunt, quam quæ innumeris exceptionibus præditæ essent. Linguam enim Hebræam

B 3

totam.

x) In Hermeneutica S. Lib. III. Cap. I.  
§. V. pag. 387 sequi.

y) Conf. ALTINGIUS in Fundam.  
Punct. L. H. p. 208.

totam, quanta quanta olim floruit uiguitque, in unico Codice S. contineri, nemo, qui indolem linguæ, per secula multa uigentis, unquam rite considerauit, asseret. Quodsi igitur quædam tantum ueteris copiarum pars in Bibliis residet, neque ex solis Bibliis Grammatica Hebræa confici poterit. Eiusmodi enim Grammatica *Grammaticæ Biblicæ* nomen gerere forte posset, quæ tamen admodum manca sit necesse est. Neque uero per eiusmodi regulas ad notitiam linguæ interioris aditus patet, quippe quæ eodem, quo regulæ, laborabit uitio. Notitia namque interior linguæ ad interiora penetrat, atque ad totum ejus usum extenditur. Unde Grammatica manca mancam quoque notitiam pariet. Uniuersalitas igitur regularum uitium istud refarciendi, apta nata est. Quo generaliores igitur regulæ sunt, quas Grammatica quædam tradit, eo perfectior enascitur. Exemplo rem illustrabo. Regula nota est apud Grammaticos, *Dagesh forte, licet in omnes literas jus habeat, e gutturalibus, earumque æmula ך, excludi, & compensari, tum explicite, tum implicite.* Si hic perstitisset Regula, atque determinationem suam tradidisset usui, bona ea, atque indoli linguæ fuisset consentanea. Nunc Rabbini nimis anxie ad calculos sedentes, ut Cel. SCHULTENSIUS loquitur, z) multas minutas regulas obtruserunt, secundum quas hæc genuinam compensationem dirigi debeat, quibus præceptiunculis facile caruissemus. Determinationes enim regulæ excitatæ partim nihil in se determinare uidentur, quando e. gr. *compensationem explicitam ante א* ordinarie, *ante ע* frequenter, *ante ה* raro, *ante ח* rarissime obtinere asserunt; partim falsæ sunt, quorsum refero, quando *istam ante ך* perpetuam esse præcipiunt, quippe contra quam exempla הרה Gen. XIV, 10. & ירה Pf. VII, 6. faciunt, quamuis ultimum hocce exemplum ad formas mixtas, quæ itidem Grammaticam adhuc premunt, referri solet. Eandem faciem gerunt regulæ, quæ *compensationem implicitam* definire uolunt, in quibus particula ista: *ordinarie, minus frequenter, & rarius* ad usum linguæ aperte nos ablegant, nec majorem certitudinem, quam uniuersalis conceptus suppeditat, in nobis efficiunt. Cum Uniuersalitate autem regularum earum *Constantia* est conjuncta, quam itidem ad Grammaticam bene constitutam referimus. Regulæ namque inconstantes ad quid profint, ego quidem non perspicio, quum nulla iis fides tribui possit. Quemadmodum autem lingua uiua jugum regularum non ubique admittere solet, ita studio adjicimus, regulas uniuersales, *quantum fieri potest, esse*

z) In Institutionibus ad Fundamenta L. H. Reg. LX. n. 8.

esse debere. Probe namque scimus, totum hocce opus sic perfici haud posse, ut omnimoda regularum uniuersalitas inde existat. Ergo ut cogitata nostra rite limitemus, eo meliorem, atque ad scopum utiliorem habebimus Grammaticam, quo generaliores ea regulas suppeditabit.

## §. XIV.

Grammatica bene constituta porro regulas suas *non ex parte quadam linguae fingere, sed ad totum ejus usum instruere debet.* Respeximus eo jam §. præcedenti, quod nunc paulo pressius enucleandum erit. Quamuis autem asserti hujus ueritas tam clara esse uideatur, ut probatione ulteriore haud egeat, nebulam tamen, quæ multorum oculos constringere solet, breui obseruatione dissipare conabor. Nemo sane Grammaticam Latinam bene constitutam dixerit, quæ unius Auctoris copiam exhibet, ex qua ad notitiam interiorum linguæ istius pertingere ualeat. Neque Græcam quis affirmarit Grammaticam bonam esse, quæ structuras N. Testamenti tantum proponit, nulla reliquorum auctorum, qui ista lingua cogitata sua consignerunt, ratione habita. Tantum uero abest, ut id mihi persuadeam, ut potius iis lubenter subscribam, qui talem Grammaticam imperfectam plane & mancam censent. Et ut propius adhuc scopum meum tangam, nemo Grammaticam Hebræam solidis regulis superstructam contenderit, quæ phrasin unius Pentateuchi regulis includit. Ejusmodi namque Grammatica, prout partem quandam linguæ considerat, sic ad totum definiendum haud apta est. Quemadmodum enim in genere totum ex aliqua sui parte non cognoscitur, ita nec pars quadam linguæ ad solidam totius ambitus sui notitiam nos ducet. Quod ut in se absque controuersia uerum est, sic quoque a Grammaticis nonnullis hic illic, tactum & admissum est, quando in textu Hebræo formas, apud Chaldaeos magis usitatas, ad istam Dialectum quoque retulerunt, id quod nobis indicio est, eos agnouisse, ad linguam Hebræam rite percipiendam Dialectorum notitiam necessario requiri. Atque sic tacite concesserunt id, quod alio respectu admittere nolunt: scilicet in linguæ Hebrææ consideratione ad usum ejus, in Dialectis quoque obuium, maxime attendendum esse. Peruersa itaque Grammaticæ Hebrææ methodus habetur ea, quæ in regulis constituendis ab hac uia discedit. Neque asserti hujus ueritatem infringit, quando Eruditi excipiunt, Grammaticam ejusmodi Hebræam dari haud posse, quum ea ad solam Scripturam S. adstricta esse debeat, quippe in qua sola purus Hebraismus uersetur. Ita namque in aliis uideo B. LOESCHERUM cala-

mum

mum contra SPINOSAM stringere. a) Hic enim, quando adstruit, *plures esse, qui Scripturæ, at nullum, qui linguæ Hebrææ Grammaticam scripserit*, his uerbis refellitur: *Mentitur uox ista & artem & ingenium, sed malitiam in fronte gerit. Ecqua enim hodie scribi poterit L. Hebrææ Grammatica, quæ non S. Scripturæ Grammatica sit, quum in ea sola purus Hebraismus nunc asseruetur. Ego uero potius optauerim, ut meram & solius S. Scripturæ Grammaticam haberemus.* Ut autem certum est, purum Hebraismum extra Codicem S. hodie in nullis scriptis aliis reperiri, id tamen non ita accipiendum esse uidetur, ac si nulla alia, uel forma, uel structura in Sacris occurrat, quam quæ ad solam ditionem Hebræam, stricte sic dictam, pertineat, quum omnes sciant, formas & structuras quoque Chaldæas, Syras, Arabicas ibi frequentari, quas, quum Grammatica talis tangere necessario debet, ejus præcepta ex Dialectis simul erunt desumenda. Unde meo quidem iudicio mera solius Scripturæ S. Grammatica admodum foret imperfecta. Neque uotum Viri Celeberrimi satis conspirat cum requisitis, quæ Grammaticæ perfectæ ponit, quippe quæ, ut ibidem inquit, *methodo tali conscripta sit, quæ ad intimum linguæ genium quadret, immo ex eodem planissime fluat, quæ simplex, natiua, regulis planissimis, exceptionibus paucissimis constet.* Grammatica enim sic constituta, ut ad intimum linguæ genium quadret, certe solius Scripturæ S. Grammatica esse nequit, quum Codex Sacer linguam Hebræam totam nec contineat, nec pro mole sua in se continere possit. Ita uero ex parte quadam totum dijudicaretur. Ex quibus patet, licet in Scriptura S. sola, purus Hebraismus obtineat, Grammaticam tamen ejusmodi specialem admodum imperfectam fore, quippe quæ generales regulas tradere nequeat.

## §. XV.

Tertium requisitum Grammatices bene constitutæ ex duobus præcedentibus fluit. Quum enim ea regulas, quantum fieri potest uniuersales & constantes, easque ex toto linguæ usu desumtas tradere tenetur, eo ipso sequitur, *eam ab anomaliis, quantum fieri potest, liberam esse debere.* Nulla quidem datur lingua, quæ sua uocabula, siue nomina fuerint, siue uerba, siue particulæ, ita ubique flectat, aut permutet; deriuata sua sic semper deducat, uocabulorumque in genere omnium tonum ita exprimat, ut eadem semper in omnibus obseruetur conuenientia, nullumque ne in minimis quidem discrimen notandum sit. Lin-  
gua

a) In libro de Causis L. H. C. XI. §. 18. p. 163.

gua enim dum uiuit, jugum regularum haud curat, atque ipsis regulis prior esse solet. Unde non mirum, si regulæ tam uniuersales non sunt, ut omnia sub se complectantur exempla, sed quædam, quæ exceptionem faciunt, remaneant. Attamen neque hoc erit diffitendum, sapius Anomalias siue exceptiones non in usu loquendi, sed in regulis Grammaticorum fundamentum suum habere, quippe quæ non adessent, si regulæ generaliores fuissent traditæ. Neque nimis nos dicturos esse credimus, quando Anomalias omnes non linguæ, sed præceptis Grammaticorum adscribimus, quum usus loquendi id ubique doceat, quod linguæ conuenit, nisi ad regulas quasdam eam metiri uelis. Verum eo nunc progredi haud uolumus, ne *λογομαχίας* uitio tandem accusemur. Quare conditionem adjiciendam esse putauimus, Grammaticam ejusmodi, *quantum fieri possit*, ab Anomaliis liberam esse debere. Prout enim Anomaliæ linguam neque ornare, neque perfectiorem sistere solent, ita officium boni Grammatici requirit, ut ab ista imperfectione, quin uitio pro uiribus eam liberet. Quæ, quando assero, iterum ad Grammaticas Hebræas maxime respicio, quippe quæ ita Anomaliis repletæ sunt, ut cum formis analogicis de principatu fere certent. Sunt uero istæ maximam partem ita comparatæ, ut re uera formam justam exhibeant, dummodo regula, ad quam exempla referuntur, generalior struatur, qua de re jam supra de compensatione Dagesh fortis quædam monuimus. Atque adeo non linguæ ipsi, sed Grammaticis imputandum erit, quando apud Hebræos tot Anomalias regnare perhibetur. De hoc uitio Grammaticorum jam dudum conquestus est B. LOESCHERUS, quando de uariis Eruditorum curis circa Grammaticam Hebræam sic iudicat: b) *Dederunt quidem inquit, methodum discantibus aptam, nos uero & talem desideramus, quæ linguæ ipsi aptior sit, cujus is esse character debeat, ut ad interiora ejus nos ducat, eandemque plane restituat.* Et alio loco c) fortem linguæ Hebrææ hac in parte sic deplorat. *Sane cuilibet Grammaticas peruestiganti continuè de nimia & intolerabili Anomalia querelæ comitabuntur. Hic masculina more fœminino, fœminina masculino tractata inueniet, anomalorum uerborum copiam, ultra quam credi potest, auctam, punctorum mutationem adeo difficilem, ut uix capi possit, & quæ hujus generis sunt alia. In syntaxi uero tam exiguus deprehenditur regularum apparatus, ut de plurimis uix alia quam ex usu & Anomalia ratio reddi possit.* Merito ergo a Grammatica bene constituta requirimus,

C

mus,

b) De Causis L. H. p. 161. c) p. 128.



mus, ut ea regulas suas sic formet, quibus lingua ab Anomaliis, sibi contra naturam suam obtrufis, liberetur. Quæ uero hic in genere tantum disputauimus, paulo curatius enucleari merentur, ut, quid hac in parte a Grammatico, qui nomen boni Grammatici tueri cupit, requiratur, oculis omnium subjiciamus. Tanta namque hic, quantum quidem nobis cognoscere datum est, regnat confusio, ut nisi ab hoc uitio purgetur Grammatica, nunquam meliora fata sit uisura. Reducemus autem omnia, ut breuitati studeamus, ad tria momenta, quorum primum est, ut caueat, ne *Anomalias lingue adfectas propaget*; alterum, *ne eas augeat*, & tandem, *ut eas, quantum lingue natura permittit, ad Analogiam restituere conetur*. Hæc si Grammatica sedulo obseruauerit momenta, utique bene erit constituta, antiquamque puritatem atque ueterem florem lingue reddet.

## §. XVI.

Grammatica bene constituta primo cauere debet, *ne Anomalias, quas lingue obtrufas inuenit, propaget*. Quantum auctoritas dicentis nonnunquam ualeat, & infimul fallat, ab Eruditis diu est obseruatum. Hæc uero in causâ nostrâ imprimis multum impediuit, quo minus suo iudicio, suisue oculis uterentur Eruditi. Certe iudicium B. LOESCHERII, quod de Christianis Hebraizantibus tulit, id clarissime probat, quando afferit, d) *eos ex Dauide Kimchio plerosque omnes sua petiisse, interdum quoque uerbum uerbo reddentes*. Utinam nec hodie ista auctoritas bonæ causæ obesset, ne in tanta copia præceptorum Grammatices Hebrææ, quæ quotannis fere augentur, iudicium Cel. MORHOFII, quod de Grammaticis Græcis protulit, ad Hebræos quoque applicari posset. *Grammaticos Græcorum quod attinet*, inquit, e) *eorum sane & fuit olim, & est adhuc larga fœcunditas, & ferme dixerim abundans, nisi quod apud recentiores plus exseribitur Grammaticarum, quam scribitur*. Vix unum atque alterum uidemus, qui id sibi curæ sumat, ut rem ipse sedulo cogitet ac meditetur, sed omnes fere piaculum esse censent, si a uestigiis Præceptorum suorum discedant. Hinc illustrationes, explicationes, & id generis scripta alia promulgantur, quibus nouum causæ suæ colorem addere sustinent. Ne uero quidquam contra labores Grammaticorum continuos temere adstruxisse uidear, qui primo conspectui Eruditorum me subijcio, insigne quoddam exemplum in medium proferam, quod a nullo fere Grammatico in iustum ordinem reductum

d) Libr. cit. p. 102.

e) In Polyhist. Tom. I. Lib. IV. Cap. VI. 4. 14.

dactum habemus, cui uero lucem accensam Cel. SCHULTENSIO debemus. Litera autem ה est, ad quam mentem intendo, cujus natura tum ratione motus & quietis, tum respectu ualoris in uerbis, ה"ל dictis, tam parum cognita esse uidetur, ut sibi nusquam minus consent Grammatici, sed id tantum, quod a Majoribus acceperunt, tradant.

## §. XVII.

Naturam uero literæ ה parum cognitam esse Grammaticis ratione motus & quietis, inde mihi constare uidetur, quia eam cum reliquis literis quiescibilibus ארי ejusdem conditionis habent, quum tamen ea nimium quantum ab istis differat. Differentia autem non una est, quæ inter literam ה, & literas ארי hic intercedit. Primo namque literæ ארי *quiescere & moueri possunt in una eademque uoce*; hanc porro quietem subire queunt, siue *radicales fuerint, siue seruales*, idque tandem *tum in medio, tum in fine uocis*. Verum hæc omnia de litera ה plane non ualent. Nullum namque prostat exemplum, quod probet, literam istam in una eademque uoce motum & quietem simul exseruisse. Verum hæc est natura ejus, ut, ubi motum semel deposuit, semper quiescat. Neque litera ista radicalis motum suum unquam abjicit, aut seruilis quiescens unquam mouetur. Neque tandem, quod ab aliis quoque tactum est, nisi *in fine* quiescit. Magna enim uero hæc est differentia, eaque tanta, ut ui ejus literam ה solam *quiescentem*, reliquas uero *quiescibiles* dixeris; quæ res tam certa nobis & euidentis est, ut non tantum ad usum Hebræorum, sed omnium simul Dialectorum prouocemus, qui eam euincat. Si unicum, siue ex Dialectis reliquis, siue ex Hebræa, adduci poterit exemplum, quod doceat, ה semel *quiescens* motum suum unquam resumisse, aut *radicale* eum deposuisse, tum multas istas Anomalias, quæ hac in parte linguam premunt, cum aliis necessario propagandas esse, affirmabimus. Quo usque uero erroris hac in re non conuincimur, eo usque contendemus, naturam literæ ה Grammaticis non satis fuisse perspectam.

## §. XVIII.

Similis autem confusio regnare mihi uidetur in Grammaticis, quando *ualorem* hujus literæ in uerbis ה"ל *radicalem* pronunciant, uerbaque ista a mappikatis inde differre autumant, quia litera ה radicalis motum suum deposuit. Ex hac enim falsissima sententia fieri non potuit, quin regulæ darentur, quæ uarias haberent exceptiones, quibus tamen, natura horum uerborum rite perspecta, carere plane possumus. Etenim,

si uerum est, quod §. præcedi adstruximus, ה, radicale motum suum nunquam deponere, id quod tamdiu pro uero habebimus, donec contrarium exemplis firmabitur: sequitur sponte, literam istam, quum in eiusmodi uerbis quiescat, radicalem esse haud posse. Erit ergo seruilis, loco tertiaz uere radicalis seruiens. Deinde uerba ל ה alterius plane sunt naturæ & conditionis, tum ratione flexionis suæ, tum quoque ratione significatus, quam uerba mappikata. Ad primum si respicias, flexio mappikatorum a norma perfectorum, siue uerba ipsa, siue deriuata eorum consideres, ne latum quidem unguem discedit, quum ה istud semper maneat, suumque motum radicalem retineat ubique. Verba uero quiescentia ה, istud ה nec in flexione, nec in ullo deriuato inde descendente mouent, nec pro natura eiusdem mouere possunt. Unde falsissime Grammatici docent: e. gr. גַּלְהוּ esse pro גַּלְהוּ, quum forma גַּלְהוּ naturæ ה quiescentis repugnet. Sic enim ה quiescens moueretur, & uerba mappikata cum quiescentibus aperte confunduntur. Quænam uero ista sit tertia radicalis litera, cuius loco ה seruit, id tum flexio horum uerborum, tum deriuata satis clare ostendent iis, qui pleno in meridie oculos claudere nolunt. Ubique enim ה uel י in iis regnant, atque jus suum in uerba ista defendunt. Sæpe tandem magna significatus differentia uerborum mappikatorum & quiescentium obtinet, prout radices גַּבְהוּ & גַּבְהוּ clare docent. Ex dictis ergo patebit, quo fundamento nitantur regulæ, quæ de ה quiescente in motum actio, aut radicali in quietem misso traduntur, atque ex una Grammatica in alteram propagantur.

## §. XIX.

Grammatica bene constituta, prout ab Anomaliarum propagatione abstinere debet, ita quoque *ab iis augendis sedulo sibi caueat*, necesse est. Quemadmodum enim, ut paulo ante monuimus, Anomalix linguam nec ornant, nec perspicuitatem eius iuuant, ex aduerso potius impedimento sunt, quo minus feliciter in ea addiscenda progredi liceat: sic summa linguæ inferretur injuria, si quis id sibi curæ sumere uellet, ut ista labe linguam adficeret. Et quid, quæso, aliud esset, quam injuriam linguæ inferre, quid, nisi labe & pestis linguæ, si, relicta ejus Analogia, nouas Anomalias quis introducere conaretur. Res tam clara & euidens est, ut indignatione Grammaticorum fere dignus uidear, qui contra uitium aliquod eorundem disputo, quod nemo eorum se unquam commisisse, facile fatebitur. Quis enim tam audacis est ingenij, ut

ut

ut contendat, Grammaticæ perfectionem ex numero Anomaliarum esse mensurandam, atque sic has esse augendas, ut ad istam perueniatur. Hac certe intentione Anomalias a quoquam augeri, uel auctas esse, nullo modo persuademur, neque ex hoc capite quenquam reprehendere conamur. Quando tamen experientia nos docet, Anomalias a quibusdam re uera augeri, non possumus, quin fateamur, iis summam linguæ injuriam inferri. Non inquiremus nunc, unde istud uitium in Grammaticam irrepsit, ne forte, fundamento non rite denudato, uitii cuiusdam & ipsi accusemur. Præstabit igitur ipsam rem indicasse, atque experientiam, ad quam prouocauimus, ostendisse. Huc uero inter alia, quæ silentio præterimus, referri licet quæstio *de Numero Specierum Verbi apud Hebræos*. Quamuis enim Grammatici facile conciliari possint circa uocabulum *Conjugationis*, ut cum B. DANZIO unam tantum statuunt, quæ uarias modificationes admittat, quas uulgo *Species* nominare solemus: circa numerum tamen harum Specierum non facile conuenient. Plerique quidem pro numero septenario pugnant, eumque sic stabilire conantur, ut & perfectionem quandam in isto euincere studeant. Sed lubens fateor, me tam acuti ingenii haud esse, ut perfectionem quandam in numero isto inuenire possim, aut quomodo ex eo uel aucto, uel diminuto, si naturæ linguæ non repugnat, imperfectio quædam linguæ enascatur, perspiciam. Ita namque ego a PRÆSIDE meo EXCELLENTISSIMO edoctus sum, ut species istas diuersas, quibus Cel. SCHULTENSIUS jus antiquum restituere annisus est, pro tot Modificationibus unius ejusdemque Conjugationis habeam, quibus diuersa Verbi cuiusdam uis indicari, & ut ipsis Cel. SCHULTENSII uerbis utar, f) *primigenium, thema potest uariari ad uim frequentatiuam, intensiuam, effectiuam, declaratiuam, reciprocam, inchoatiuam, imitatiuam, meditatiuam, desideratiuam &c. &c. nota quadam peculiari & characteristica designandam. Conjugationes enim, paucis interjectis pergit, apud Hebræos & Arabes nihil aliud quam formationes deriuatiuæ sunt, quæ totidem Species constituunt, secundum quas significationes uerborum hoc uel illo modo uariari queunt.* Aut ergo totus fallor, aut nemo a priori constituat, has formas deriuatiuas ultra numerum septenarium extendi haud posse. Certe ueteres Rabbin, quos BALMESIUS, teste Cel. SCHULTENSIO adducit, undecim *בְּנֵי יָם* ædificationes, i. e. conjugationes percensuerunt. Et R. DAV. KIMCHI octo enumerat, receptis septem, octauam *הַטָּעַם* adjiciendo,

C 3

f) Institutiones ad Fundam. L. H. p. 259.

adjiciendo, quam & PAGNINUS, licet pro senario numero contendat, inter reliquas recepit. Mirari tamen nec satis mirari possumus, recentiores, a communi fere Præceptore suo hic deflexisse, atque Speciem hanc subordinare uolentes, Anomalias contra linguæ naturam auxisse, quod ut euincam, de natura Specierum diuersarum Verbi quædam præmittenda erunt.

## §. XX.

Nullam uero litem Grammaticis mouebimus circa diuisionem Specierum, quam *Classium* nomine indicare solent. Siue enim cum quibusdam quatuor, siue cum aliis septem Specierum Classes constituas, res rite considerata eodem redit. Arbitraria quoque est diuisio B. DANZII inter species *leues* & *graues*, quando ad has istas tantum formas refert, quæ Dagesh forte characteristicum in media radicali habent, ad istas uero reliquas. g) Possêt namque alius rem sic considerare, ut diuisionem hanc admittens, solam formam Kal *leuem*, reliquasque omnes, quotquot tandem sint, *graues* dicat, quia reliquæ, præter Kal, una, aut pluribus literis, siue ab initio, siue in medio aut fine, tum per duplicatam secundam aut tertiam, aut utramque simul, tum per literam præformantem characteristicam, tum per insertionem cuiusdam literarum *י*, grauatae sunt. Verum id nunc tangere haud uacat. Mentionem tamen injicere uoluimus, ne ista diuisio Danziana ejusmodi habeatur, quæ regulam quandam constantem exhibeat, ex qua alii reprehendi, aut refutari possint. Ista autem Specierum Verbi natura est, atque ea ex ratione ab Hebræis formatae uidentur, ut discrimen aliquod atque differentia uariatæ Verbi significationis indicetur. Quod ut pateret, unaquæque Species *peculiari Characterè* insignita est, quo se a reliquis distinguit. Ad hanc ergo rationem species *Niph-bal* literam præformantem *ב*, quin integram syllabam *ב* in Characterem accepit, quo a reliquis differt. Sic quoque *Pih-bel* per Dagesh forte in media radicali se se distinguit ab omni alia Specie, quæ ista nota caret. Et sic in reliquis etiam res se habet. Tolle jam hos Characteres, & ipsas Species confundes. Quanta enim uero enasceretur confusio, si istos Characteres, quibus unaquæque Species ad discrimen prædita est, aut permutare, aut alias formas substituere uelles. Nonne tota discriminis ratio periret, atque Characteres illi nullius plane forent utilitatis & commodi? Quo jure ergo a Grammaticis affirmari potest, Speciem *Pohel*, de qua nobis nunc quæstio est, Speciei *Pih-bel*

g) Conf. Literator §. 41. I. Obseru. 3.

*hel* subordinari posse. Nonne Character utriusque formæ diuersissimus est? Et quis ulla experientia edoctus est unquam, Hebræos talem subordinationem admittere. An unquam in lingua Hebræa ejusmodi forte resolutio uocalis *Chireck* sequente *Dagesh* forte in *Vaw* quiescens in *Cholem* obtinuit? Nempe Character hujus formæ non nudum est *Cholem*, sed litera  $\gamma$  inter primam & secundam inserta, quæ apud Hebræos in quietem concessit, apud Syros autem motum suum seruauit. Quo fundamento igitur hæc formæ subordinari poterunt? Forte ex similitudine flexionis? Sed neque hæc ratio se commendabit, quum notum sit, flexionem omnium Specierum ad legem  $\gamma$  Kal institui, atque Species non flexione, sed suo Characterè distingui. Quamdiu ergo discrimen Specierum tutum esse debet, tamdiu Characteres nec tollendi, nec unus pro altero erit substituendus. Contra hanc ergo Characterum constantiam peccasse uidetur Cel. DANZIUS, quando asserit: *Cholem loco Dagesh fortis ad primam radicalem nonnunquam adhiberi*. Hinc linguæ Hebrææ injuriam illatam, atque Anomalias auctas esse concludimus, ubi Species פועל cum Specie פעל confunditur, atque altera alteri subordinari posse perhibetur.

## §. XXI.

Quod uero de Specie *Pohel* respectu *Pih-hel* contra asserta Grammaticorum monuimus, id ualet quoque de omni alia subordinatione, in qua Character tollitur. Certe nemo, qui linguæ Analogiam ob oculos habet, regulam ejusmodi concoquet, quæ subordinationem Specierum, commixtis Characteribus, suadet. Unde uix oculis nostris credimus, quando apud Cel. DANZIUM h) legimus? *loco Dagesh Characteristici grauium nonnunquam adhibetur secunda radicalis, tam in iis, quæ uel natura habent quatuor literas, uel ultimam duplicant, aut primam duplicatam semel statuunt in locum tertiæ: quam quæ, ultima quiescente abjecta, duas priores repetunt. Adhibetur & tertia radicalis, quando in uerbis alioquin perfectis, tribus radicalibus subjiciuntur duæ posteriores duplicatæ.* Quomocunque hæc regula emolliatur aut illustretur, nunquam tamen id efficietur, eam differentiam Specierum, earumque Characteres non confundere. Itane Verba quadrilitera, quæ ex diuersis radicibus alias conflata sunt, ex Specie *Pih-hel* enata sunt, suoque Characterè cum hac sic conueniunt, ut subordinari huic possint? Sed nec ipse DANZIUS hoc admittere uidetur, qui Verba hæc *natura* quatuor literas habere

h) c. l. §. 41. III. Obs. 5. β. γ.

habere afferit. Ergo natura horum uerborum Characterem jam suggerit. Pih-hel quidem literas quatuor quoque agnoscit, sed inde non sequitur, Speciem istam, quæ quatuor literas agnoscit, Speciei Pih-hel esse subordinandam. Ita namque **נפעל** & **הפעל** huc reuocare posses, quæ itidem quatuor literis constant, licet ex mente Viri Eruditissimi ad Classes graues non pertineant. Præterea Verba quadrilitera ad Classsem Imperfectorum uulgo referuntur, quia numerum ternarium radicalium sua natura excedunt, ad quæ & quinquelitera pertinent, quæ pari forte iure regulæ addendæ fuissent. Quid quæso eueniret Grammaticæ Hebrææ, si cum Characteribus Specierum sic ludere liceret? Neque tandem, quomodo uerba B. DANZII rite sint de Quadriliteris intelligenda, quando ea sic enata tradit, ut loco Dagesh Characteristici secunda radicalis sit adhibita, me satis capere fateor. Quæ uero sequuntur in his uerbis, ejusdem sunt conditionis: Character nempe speciei Pih-hel est media duplicata. Ergone idem jam erit, ultimam duplicatam pro media duplicata substituere? Certe, si hoc non est Characteres confundere, nescio, quid tandem sit confusio. Similis confusio regnat in reliquis, quando de tertia radicali perhibet, eam pro Dagesh forti adhiberi, quando duæ posteriores duplicantur. Ad hanc ergo rationem species **פעלעל** eadem erit cum forma **פעל**, uel si non eadem, saltem subordinari poterit? Atque sic plane actum est de Specierum Characteribus, si talis subordinatio locum tueri debet. Talpa sane cœcior sit, qui differentiam utriusque Speciei non tantam sentiat, ut de subordinatione quadam ne cogitari quidem possit, si Analogiæ linguæ studemus. Verum nec omnis hinc confusio exhausta est. Mirabuntur ii, quibus lux nondum affulsit, ut, quæ Vir Doctissimus obscure, ut solet nonnunquam, posuit, plane ac plene intelligant, quando aliam insuper subordinationem tangam, juxta quam litera **ת** primæ radicali præmissa, idem efficere dicitur. Ita namque Vir Beatus: *loco Dagesh fortis characteristici grauium, nonnunquam adhibetur prima radicalis, cum præponitur ei ת*. Ite nunc & discite, quomodo Specierum subordinatione sit instituenda, ut numerus septenarius in linguæ perfectionem retineatur. Quid jam impedit, quominus unicam Speciem Verborum statuamus, cui reliquæ omnes facili negotio subordinari poterunt. Etenim si hoc permissum est, pro media duplicata assumere literam præformantem, cur non Niph-hal, Hiph-hil & Hoph-hal eidem Speciei Pih-hel, eodem jure, subordinantur. Diceres, has formas esse leues. Sed monuimus jam supra, diuisionem hanc inter leues &

&amp;

& graues esse arbitrariam. Relegeres significatum obflare. Verum Specierum sic subordinatarum significatus quoque differunt, nec, si eadem omnium esset notio, appareret ratio, cur distinctos acceperint Characteres. Gratulor ergo commilitonibus meis, qui cerebrinis istis Speciebus Schultensianis memoriam suam amplius fatigare cessabunt. Ast, quando joculari nolo, uehementer dubito, Celeberrimum Virum sic rite refutari posse, si ab hac parte subordinatio stare debet, nec quomodo ii, qui ejusmodi armis pugnant, eum sint uicturi, capio.

## §. XXII.

Quando tamen ipse SCHULTENSIUS subordinationis cujusdam Specierum meminit, nos uix ubique habet consentientes. Etenim si Species istæ peculiari gaudent Characterē, idem simul jus cum aliis habebunt, quæ locum in catalogo Specierum nactæ sunt. Eam namque ob rationem Species undecim a Viro Doctissimo receptis additas habemus, quia quælibet peculiari Characterē prædita est, qua se a reliquis distinguit. Unde reliquæ, quæ catalogo isti non sunt insertæ, quum Characteres iterum alios habeant, in eundem recipienda fuissent. At enim uero hoc Viro Summo uitio uerti nequit, quippe qui ipse fatetur, i) *se maluisse ab iis, qui post se sacra hæc tractaturi, numerum amplificari, quam a se nimis extensum judicari.* Et sane pro sparta sua bene egit, quando a pluribus formis addendis abstinuit, qui, ut in aliis, sic in his quoque aduersarios prouidere poterat, quum glaciem hac in parte fregisse censendus sit. Ex dictis autem patet, ista subordinatione Anomalias augeri, quas a Grammatica bene constituta abesse debere contendimus. Etenim ubi Characteres distinctiui confunduntur, ab Analogia linguæ deflecti, atque ejus loco Anomaliam introduci, extra controuersiam positum est.

## §. XXIII.

Grammatices bene constitutæ denique officium est, ut *Anomalias, lingue adfectas, ad Analogiam reducere studeat.* Nihil certe est, quod Grammaticum magis decet, quam ut linguæ Analogiæ intentus sit, eamque pro fundamento omnium, quas dedit, regularum ponat. Hæc enim est mensura unica, ad quam, quicquid de lingua præcipitur, est exigendum, qua neglecta, omnia incerta plane euadunt atque incongrua. Ut enim Analogia conuenientiam, sic Anomalia disconuenientiam pro scopo habet. Jam uero ea, quæ sibi non respondent, summam in cognoscendo gignunt difficultatem, ut e contrario ea, quæ inter se conueniunt, facillime

D

me

i) Institut. ad Fundam. L. H. p. 483.



me cognoscuntur. Atque sic summa nauanda erit opera, ut, quæ in lingua non conspirare uidentur, ad justum concentum & harmoniam reducantur. Sane! si quid ad linguæ perfectionem quidquam confert, non hoc uel illud accidens erit, sed Analogia, quæ, quo major & generatior est, eo maiorem linguæ conciliabit perfectionem, quemadmodum e contrario lingua imperfecta censenda est, quæ Anomaliis referta est. Prout autem Anomaliæ uix linguæ imputari possunt, ut supra §. XV. monuimus, sed originem suam imperfectis Grammaticorum regulis debent; sic officium boni Grammatici hinc apparebit, ut nempe eo omni nisu contendat, quo nitorem linguæ restituat, fictasque istas Anomalias ad justam reducat Analogiam. Hoc uero officium in primis a quam plurimis Grammaticis Hebræis negligi, experientia satis testatur, & nostro seculo eadem adhuc ualeat querela, quam B. LOESCHERUS de sui æui Grammaticis instituit, quando scribit: k) *Vide neque in Nominum formas uarias, nec in Verborum series accuratius inquiri, ac præsertim distributionem eorum in classes ob peculiarem significandi modum ineundam contemni. Vide Analogiam, Grammaticæ animam, mire negligi, atque ad certas leges non reduci.* Lingua Græca lætiora hic experta est fata, quippe circa quam magis, ut uideatur, occupati fuere Eruditi, licet & in hac quædam adhuc supersint, quæ eorum & reuisionem Eruditorum desiderent. Utinam eandem tantum fortem nacta esset Hebræa, magisque ad Analogiam in præceptis suis attendissent Grammatici. Vanissima sane hic est exceptio, linguam Hebræam paruulo tantum libro contineri, nec copiam tantam ejus superesse, ut iudicium de Analogia ejusdem satis tutum ferri possit. Abjiciatur modo præjudicata ista Opinio, quæ linguam istam ex solis Bibliis addiscendam esse perhibet, & tota simul exceptio euanescet. Non uacat nunc, ut obseruationi huic pluribus insistamus, id tamen, quasi in transitu, monemus: Linguam Hebræam nunquam faciem antiquam esse recuperaturam, nisi ad amplitudinem ejus, in Dialectis obuiam, attendatur. Conf. §. XI. Quis in Græcis jam amplius statuit, e. gr. formam ὄδην aut ἡνεχθην a Φέρω potius, quam a thematibus suis ὄω & ἡνεχω esse deducendam? Quis permittet in Græcis regulam: Quædam masculina singularia formant pluralem in fœminino, & uice uersa? Quis uerum Nominatiuum Genitiui γυναικος agnoscit γωνη, & id genus alia, quæ Grammaticam Hebræam ad hunc usque diem ualde premunt? Quis est Grammaticorum, si a SCHULTENSIO, & ab iis, qui forte uestigiis ejus insistant, discedas, qui e. gr. Pluralem אִמְהוֹת non

k) De Causis L. H. p. 162.

non formet a Singulari אָמָה, idque contra linguæ Analogiam, quum formandus esset ab אָמָה? Dicis hanc formam in Sacris non legi. Concedo. Sed inde non sequitur, linguam Hebræam forma אָמָה semper caruisse, quum citra controuersiam notum sit, linguam Hebræam pro toto suo ambitu, quo olim floruit, in Sacris non contineri. Nonne uero præstat, formam ejusmodi Hebræis ex Analogia linguæ restituere, quam Anomaliam certe fictam retinere? Quis defendere poterit regulam, quam ubiuis fere legimus, quamque nunc in exemplis tantum adducemus: קוֹל, שֵׁם, צָבָא, aliaque, pluralem formare קוֹלוֹת, שְׁמוֹת, צְבָאוֹת; e contrario אֵילָה, בְּיָצָה, aliaque, dare in plurali אֵילִים, בְּיָצִים? sic quoque לֶבֶב dare לִבְבַיִם & לֶבְבוֹתָי & שָׁנָה exhibere שְׁנַיִם & שְׁנוֹתָי? Nonne hac ratione lingua Hebræa recte inconstantia, imperfectionis, quin confusionis accusaretur? Et si uel in Bibliis formæ hæc sibi mutuo responderent, tamen Grammaticorum erat, rem aliter considerasse, nec regulas ex parte quadam linguæ condere. Si de radicibus, earumque accidentibus, contra linguæ Analogiam fictis, hic exempla subjicere uellem, in immensum cresceret opus. In his enim tanta regnat confusio, ut Analogiam ipsam fere confundat. Summa ergo cura impendenda erit Grammaticis, ut, quod ipsis incumbit officium, impleant, atque linguam a macula Anomalix junctis uiribus liberent, quo uerum tandem decus, & antiqua puritas linguæ restituantur, neque amplius cum tot tantisque Anomaliis colluctanda habeat. Profecto melius sibi, linguæque consulerent Grammatici, si istum scopum semper ob oculos haberent, neque alios accusarent, argumentisque inualidis eos refutare conarentur. Vana certe omnis est refutatio, uanum quinimo omne studium, si culpa Doctorem redarguit, atque dogmata hujus aut illius Magistri ea ex ratione defenduntur, quia ab hoc uel illo prouenerunt. Nobis certe amicus DANZIUS, amicus SCHULTENSIUS, sed magis amica est ueritas. DANZIUM enim aut SCHULTENSIUM exscribere uelle, nulla ipsius linguæ ratione habita, parum prodesset, nec deceret. Hanc certe laudem nemo Magno SCHULTENSIO jure denegabit: Eum Analogiam linguæ in præceptis suis semper ob oculos habuisse. Utrum uero juxta eandem rite ubique senserit nec ne, id, ut dijudicem, uires meas transcendere sentio. Hoc tamen certo scio, nisi alia uia nobis aperitur ad Analogiam linguæ rite cognoscendam, quam quæ hucdum aperta est, aut hodie aperiri solet, merita SCHULTENSII, ut in linguam Hebræam in genere, sic imprimis in Grammaticam, nunquam esse intermorigura.

D 2

§. XXIV.

## §. XXIV.

Sed satis & ad tedium fere, ut puto, de prima uia, qua ad notitiam interiorem Linguarum Originalium peruenimus, dictum est. Circa alteram partem breuiores erimus, quæ *assiduam Auctorum, lectionem* commendat.

## §. XXV.

*Auctorum assiduam lectionem* plurimum iuuare eum, qui ad notitiam interiorem linguæ alicujus peruenire cupit, experientia quemque satis docere ac conuincere potest. Quamuis enim Grammatica, si ita comparata est, prout eam in præcedentibus descripsimus, ueram naturam & indolem linguæ in constructionibus nominum & uerborum in se contineat: ad interiora tamen, ejusque quasi medullam non pertingit. Ita uerborum notationes, eorumque profundas ac sæpe retrusas origines, ex eadem non addisces, quippe quæ ad campum Grammaticum haud pertinent. Has namque, qui inuestigare & noscere cupit, nulla alia ratione, nisi diligenti Scriptorum lectione inueniet. Quanto plura igitur scripta, lingua hac uel illa exarata, prostant: tanto facilius est uia ad usum uerborum pro suis notationibus primariis, secundariis pernosendum, quum e contrario non temere in eas penetrare liceat. Usus enim linguæ, ut supra jam monuimus, ex copia & amplitudine ejus est dijudicandus, quam præter Scriptores uix ullibi reperies. Hi uero sunt, qui in linguis, imprimis mortuis, Grammaticis fundamentum suppeditant, cui regulas suas superstruere tenentur. Unde recte Clar. HEINECCIUS 1) *quid iuuabit scribere, inquit, nisi antea ipsam linguæ indolem ac genium animo conceperis? id uero, qua alia ratione consequi posses, quam lectis diligenter Auctoris, ego quidem uix intelligo.* Quemadmodum autem cogitata hæc nostra ad linguam præcipue Hebræam applicare solemus, sic quoque hocce assertum ad eam erit applicandum. De lingua enim Græca constat inter omnes, neminem ad interiorem ejus notitiam peruenire posse, qui lectionem Auctorum Græcorum indefessam negligit. Commendant uero simul Eruditi, quum lingua ista uarias agnoscat Dialectos, ut non unius, sed omnium Dialectorum notitiam sibi comparet is, qui felices hac in parte progressus facere cupit. Quod quum de lingua Græca omnes uno quasi ore fateantur, de lingua Hebræa tamen id concedere haud uolunt, rati, eam Scriptorum multitudine earere, neque præter Sacros superesse alios, qui uiam nobis eo monstrant. Quamuis autem lubens fatear, extra Sacros, nullos alios hodie superesse Scriptores, qui lingua mere Hebræa in scriptis suis usi sint; quamuis & id concedam,

1) In Fundam. Stili Cultioris P. III. Cap. I. p. m. 332.

concedam, istos Scriptores totam linguæ copiam, antiquasque ejusdem diuitias non exhibere, eosque adeo unicum fontem haud esse posse, ex quo omnis linguæ Hebrææ notitia hauriri queat: nihilo tamen fecius affirmo, uiam eandem hic quoque eligi posse, atque adeo eligendam esse, quæ in aliis linguis ad notitiam interiorem nos ducit, si eam in hac quoque nobis acquirere uolumus.

## §. XXVI.

Rationem asserti nostri, quod modo adstruximus, dabunt ea, quæ supra §. XI. de usu linguæ, quousque is se extendat, disputauimus. Ut enim Dialectus Hebræa, qua talis, nullos habet Scriptores plures, quam qui oracula diuina V. T. consignarunt; lingua tamen primæua, cuius & idioma Hebræum est Dialectus, plures habet ramos & propagines, quæ una cum Hebræa antiquam matris faciem retinuerunt, quæque opem sibi mutuam præstare ualent. Copia ergo Auctorum, qua Dialectus Hebræa carere uidetur, Auctoribus alius Dialecti resarcitur, quorum assidua lectio eodem commodo nos mactabit. Quæ quando affirmo, maxime ad Dialectum Arabicam respicio, quippe quæ Auctoribus, qui tum de ipsa lingua, tum de aliis rebus scripserunt, abundat, quorum multi quidem, studio Eruditorum, jam editi sunt, plurimi tamen adhuc in Bibliothecis latent. m) Hos, qui attente legerit, manuque diurna & nocturna uersauerit, eundem is fructum sibi inde promittere poterit, quem studium istud in aliis linguis ferre solet.

## §. XXVII.

Nec est, ut aliquis nobis objiciat, tanta Eruditorum proflare opera, tantosque labores, per multos sæpe annos uix exantlatos, ex quibus, quum exigua tantum Auctorum Hebræorum pars supersit, ea, quæ ad usum linguæ Hebrææ pertinent, facili negotio addisci possint. Etenim siue *fontes* Lexicorum, siue *qualitatem* eorundem paulo curatius contemplantur, uix persuademur, ea sic comparata esse, ut omne punctura hic ferre possint. Utinam optimus sæpe Eruditorum seopus felici euentu suo non destitutus fuisset, neque præjudicata nonnunquam opinio eos multum impediisset, quo minus ad eundem pertingerent. Verum experientia satis testatur, Lexica nostra ejus esse conditionis, ut, qui ex iis solis sapere cupit, parum sapere uideatur. Valet namque etiam hic

D 3

assertum

- m) Euolui hic meretur Catalogus uniuers. Biblioth. Lugdun. p. 409. sequ. ex quo, quot MSC. Arabica in unica ista Bibliotheca asseruentur, patebit.

assertum B. KROMAYERI, quando scribit: n) *Satis superque constat, nondum Lexicon omnibus numeris absolutum prodiisse.* Isti ergo objectioni satisfacturos nos esse credimus, si in *fontes & qualitatem* Lexicorum paulo curatius inquiremus.

§. XXVIII.

Si *fontem* Lexicorum in genere consideramus, in subsidium lectionis Auctorum ea enata esse uidentur. Qui scopus ut obtineretur, dictio hujus aut illius Scriptoris, aut plurium simul sumtorum annotata, ejusque uis ac recepta potestas, pro usu, quem scriptores offerebant, definita est, ut lector, ubi Scriptorem hunc uel illum euoluit, uim dictionis eo facilius intelligere, atque hisce adminiculis adjunctus, absque multo impedimento studium suum prosequi possit. Hinc optima, quibus gaudemus, Lexica sic adornata inuenies, ut receptas uocum significationes tradant, easque uariis locis, ex Scriptoribus collectis, probent firmentque. Ab hac igitur parte, si scopum Lexicorum contemplanur, nemo sane incicias ibit, eum, qui ad ejusmodi opus manus suas admouere studet, longe uersatissimum peritissimumque in lingua ista, ad quam labor hicce respicit, esse, intimamque cum Scriptoribus istius linguæ colere debere amicitiam, ex quorum quotidiana demum consuetudine uarium uerborum usum addiscat. Exigui proinde pretii Lexicon tale erit, quod ex uno tantum Auctore, uel quod idem est, ex aliqua linguæ parte, usum uerborum, in lingua, pro toto ambitu suo, uigentem, definire contendit. Quamuis enim scopus ejusmodi Lexici satis bonus esse possit, uerum tamen usum nunquam præstabit, quum idonea eo perueniendi media collector ejusdem non adhibuerit. Quam uero uellem, aliud mihi iudicium de Lexicis Hebræis ferendum esse, quippe quæ, licet bonum etiam habeant scopum, ita tamen sunt comparata, ut, nisi aliam nanciscantur faciem, usum fere nullum præstare possint. Etenim si mente attentâ contemplanur, undenam primi Judæorum, qui hoc opus aggressi sunt, usum uocum Hebræarum definiuerint, facile apparebit, eos scopum suum neque attigisse neque attingere potuisse. Præterea literatura Hebræa uix reuiuiscere inceperat, ex quo de Lexicis conficiendis inter Judæos primum cogitatum est. Si enim historiam Lexicographorum, uel apud Beat. J. C. WOLFIIUM, uel apud B. LOESCHERUM contemplanur, R. D. KIMCHI primus est, cujus Scripta, hac de re edita, ad nos peruenerunt, qui seculo demum XIII, quo res Hebræa non adeo magna

n) In libro, quem sub rubro: *Filia matri obstetricans*, edidit. Lib. I. Cap. I. p. 17.

magna ceperat incrementa, floruit. Præcipuus quidem ejus dux hac in parte fuit R. JONAS BEN GAANACH, quippe quem, teste POCOKIO, pressim sequitur, cujus tamen scripta lucem publicam non adspexerunt. Quod si jam conditionem Literaturæ Hebrææ eo, quo KIMCHIUS uixit tempore, pensitamus, ipsamque methodum, qua in adornando Lexico suo usus est, paulo curatius consideramus, fieri nequit, quin animaduersiones recentiorum, in Eum factas, probemus, Eumque fontem, ex quo uocum Hebræarum significationes tuto hauriendæ sint, dici haud posse, asseramus. Certe nemo id affirmabit, se hoc duce Biblia sacra penitus intelligere, atque ad interiorem dictionis Hebrææ indolem penetrare posse. Qui uero KIMCHIUM excipiunt, Judæi & Christiani, omnes fere Ejus decreta sequuntur, atque adeo non pluris faciendi erunt ipso eorum Auctore. Quæ, quando assero, promeritis KIMCHII aliorumque Eruditorum laudibus nihil uel detrudere, uel judex de Viris, longe supra nos positus, sedere uolo, sed aliorum Eruditorum iudicio me hic insistere confiteor.

## §. XXIX.

Si uero directe nunc inquirimus, undenam tandem sua, quæ posteritati reliquerunt, hauserint Lexicographi Hebræi, mox patebit, eos ultra Talmudem, Chaldaicæque linguæ, quin Rabbinorum auctoritatem, studium suum uix extendisse, nonnunquam tamen, necessitate quasi adactos, Arabicæ linguæ lumine usos esse. Quantum uero hic Talmudistarum auctoritas ualeat, unicus BUXTORFIUS o) nos docere poterit, qui radicis cujusdam significatum a famula Arabica Eos nonnunquam didicisse, adfert. De lingua Chaldaica uero, monumentisque Chaldæorum superstitibus, sic iudicat Cel. SCHULTENSIUS. p) *Quis adeo hospes est, cujus adeo circa res nostras peregrinantur aures, ut ei inauditum sit atque incognitum, quanto defectu, quanta omnium rerum inopia ac paupertate laborent Chaldæorum ac Syrorum, adde etiam Æthiopum & Samaritanorum monumenta, uel potius naufragia, tristesque reliquiæ, quam angustissimis inclusa & circumscripta cancellis hæ linguæ ad nos peruenerint? atque ita cum iis esse constitutum, ut infinitis in locis luce egeant aliena, nedum, ut illustrandis Hebræicæ linguæ obscuritatibus multum inseruire, atque lumen præferre clarissimum possint.* De Rabbinis, Eorumque auctoritate nihil attinet dicere, quum illi sint ii, qui Arabum exemplo ducti, de uocum commentariis cogitarunt, & uel iisdem fontibus, uel popularium placitis

o) In manuali sub R. **UNO**.

tibus, ex quibus omnis L.H. cognitio manauit,

p) In Oratione inaug. quæ est de Fon-

uit, horumque Vitiis &amp; Defectibus pag. 15.

placitis usi sunt. Prima ergo Lexicorum facies non adeo uenusta fuit, quibus proinde aditus ad interiora linguæ Hebrææ non satis tutus recludetur. Ratio uero hujus imperfectionis in eo sita esse uidetur, quia Lexicographi Judæi Dialectum Arabum plane neglexerunt, nec ejus ope ac luce in constituendis uocum significatibus usi sunt. *Quum enim, ut inquit Cel. BOCHARTUS q) in reliquis Hebræicæ lingue Dialectis, præter aliquod Scripturæ uersiones aut paraphrases, uix quicquam habeatur, quod sit aliujus momenti: Arabes abhinc annis fere nongentis omnes omnino scientias magna cura excoluerunt, & de singulis multa scripserunt, iis plerumque uerbis, quæ uel mere ebraica sunt, uel cum mere ebraicis magnam habent affinitatem.* Quodsi jam Lexicographi in uia ista, quam R. JONAS iis præmonstrauerat, perstitissent, atque hoc duce in firmandis uocum notionibus fuissent usi, longe laxiora fata lingua Hebræa fuisset experta. Verum, quum ab hoc tramite discesserint, fieri haud potuit, quin omnes illi defectus Lexica peruaferint, qui sese oculis omnium sistunt.

## §. XXX.

Ex fonte uero Lexicorum denudato facile quiuis ad *qualitatem* eorundem concludere poterit, quam paulo prescius relegendam nunc esse intelligimus, si ueritas asserti nostri constare debet. Querelam uero eandem hic repetendam habemus, quam multi Eruditi diu jam instituerunt: scilicet Lexica nostra Hebræa ejus esse conditionis, ut multis defectibus laborent. Optandum sane fuisset, si Eruditi illi, qui imperfectionem Lexicorum, ab Hebræis editorum animaduernerunt, sua quoque Lexica ab ea liberassent. Verum perpauca inuenies, qui ueram hic attulerint medicinam. Regnat enim in quamplurimis Lexicis, tanta Radicum cum deriuatis suis permixtio, tanta significatum confusio, ut, quomodo linguam ab inconstantia aliisque defectibus, quos audaces Critici illi tribuunt, defendas, uix uideam. Testis nobis est in aliis B. LOESCHERUS, qui inter defectus Lexicorum, quos obseruauit, refert, r) *quod incredibilis radicum numerus nondum sit restitutus, quod tot diuersissimæ significationes nonnunquam uocabulo tribuantur, quod denique idem deriuatum sepe ab eodem, sæpius a diuersis Lexicographis, ad disparatas radices referatur, atque adeo & ordo, & certa deriuandi ratio nondum sibi constet.* Nec minor ei defectus est, s) *quod in tribuendo radicum jure adeo sint inconstantes Lexicorum diribitores, quo de uaria exempla ex BUXTORFIO adducit.*

q) In Præfat. Hierozoici sub finem.

s) c. l.

r) De Causis L. H. p. 171.

cit. Certe, si quid Lexica nostra premit, significatum est confusio, quippe qui ita sunt distributi, ut nemo facile concordiam inde sit reperiturus. Pro ut enim notiones secundariae, siue tropicae, a primariis, siue propriis, derianda sunt, ordo iste deriuationis ostendendus fuisset, quum in tropis saepe sic luxurient Hebraei, ut una radix diuersissimas nonnunquam, quin sibi oppositas gerat significationes. Videntur autem Lexicographi, quicquid significatum pro hac uel illa radice sese offerebat, collegisse, nulla uel potestatis primariae, uel iustae significatum subordinationis ratione habita. Hinc fieri nequit, quin incertiore lectorem saepe dimittant, quam dudum erat. Hac uero significatum farrago tot Eruditorum curis ansam dedit, quibus huic defectui, quem tamen uix Lexicographis adscribendum esse putabant, manus medicas admouerent. Hinc *Boblianum, Guffetianum, Neumannianum*, aliaque systemata enata sunt, quorum unumquodque uiam pandere debet, qua ad concentum diuersissimarum radicum notionum peruenire licet. Sentiebant namque Eruditi, actum fere sic esse de re Hebraea, si Verba istius linguae tot tantisque significatibus onusta quasi essent, in quibus nullus, ut apparebat, regnaret ordo. Obseruabant insuper, a nonnullis multa contra linguae constantiam, perfectionem, quinimo notitiam ipsam, ex hoc Capite moueri, quibus, nisi Verborum notationes aliam faciem acciperent, nihil fere regeri posset. Utinam uero Eruditi uno animo rem hanc fuissent aggressi, nec unus fere quisque aliam atque aliam fouisset sententiam, qua defectibus istis subuenire uellet. Sic uero uidebis longe aliter BOHLIUM cum GUSSETIO, aliter uero NEUMANNUM cum aliis hic incedere, ita, ut dubium te relinquunt, quem inter tantos Viros ducem optimum tibi eligas. Ita sane cum literatura Hebraea ad hunc usque diem res agitur, ut quam plurimos GUSSETII, nonnullos NEUMANNI, alios aliorum uexilla sequi uideas, quorum unusquisque, se Duce suo ad metam peruenturum, sibi persuadeat. Miserrimam enim uero sortem linguae Hebraeae, quae tot Eruditorum sententiis constrictam se sentit, quibus, nisi concentus aliquando existat, ueterem florem, ordinem, constantiam ac uenustatem nunquam est recuperatura.

## §. XXXI.

Supereft breuis commemoratio *Defectuum* reliquorum, qui in Lexicis obuii sunt, postquam palmarius ille a nobis jam tactus est. Ad has uero referimus Permixtionem radicum cum suis deriuatis. Neminem enim, qui Lexica Hebraea euoluerit, fugiet, Nomina saepe in iisdem locum Radicum occupare, quasi Radix ejusmodi nunquam in lingua fuerit trita, uel ei conueniat. Sic in quam plurimis Lexicis, si a recentissimis nonnullis discedas, e. gr.

E

שנר



לת, רם, שר, & multa alia ita disposita inuenies, ut nulla iis Radix, a qua descendant, competat. Sic B. LOESCHERUS BUXTORFIUM reprehendit, quod, quum sola uerba radicum prerogatiuam habere doceat, sepetamen Nomina, Radicum loco ponat, etiam ubi uerba non desunt, & uoces manifesto Deriuati formam obtinent, id quod uariis exemplis ex Manuali eius desumptis probat. Pari ratione uoces quaedam quadratae sine radice, uelut ἀνεφαλσι contra linguæ naturam recensentur. Sic litera י tristissima fata a Lexicographis experta est, quippe quæ e numero reliquarum, quæ primum, secundum, & item tertium locum radice occupant, ejecta est, atque uix medium locum retinere potuit. Tota namque radicum familia, quæ י a Capite habet, periit, superstiti unico deriuato isto, quod literæ huic nomen dedit. Eandem sortem uero innumeræ aliæ radices deplorandam habent, quæ uel in Lexicis oberrant, uel ex iis plane exulant, quod, si exemplis probare uellem, multum chartæ iis insumerem. Perlustretur prima tantum litera in Lexicis, quæ sola uaria exempla huc spectantia supeditabit, ne de aliis nunc dicam, quæ idem confirmare possent. Accedunt significatus uel falso radicibus tributæ, uel non satis determinatæ, quod imprimis in iis obtinet, quæ semel aut bis in Sacris tantum occurrunt. Ex quibus omnibus rite consideratis luce meridiana clarius patebit, Lexica Hebræa multis, iisque insignibus defectibus repleta esse, neque post tot Eruitorum curas, licet multi iis jam reparati sint, rem Hebræam eo stare talo, ut sola Lexica ad notitiam linguæ interioris nos tuto ducere ualeant. Quæ quum ita sint, ueritatem asserti, quod Cel. SCHULTENSIUS inter axiomata literaria circa Viam ueterem & regiam hebraizandi Canone XVIII. retulit, quibus facile perspiciet, quando scribit: t) *Non in Lexicis panditur, quid quæque Orientis Dialectus in sinu gerat, sed e libris demum interior illa uirtus hauriri potest. Hos qui non uersat, conteritque legendo, nunquam ad uiuum, uegetumque Linguae Hebrææ ejusque Dialectorum sensum ac gustum, perueniet: multo minus ad Origines, & primigeniam illam medullam, atque Formalem omnium radicum potestatem, sese penetrabit.* Et satis nobis fuit, quædam tantum de defectibus hiece delibasse, quum ab aliis hæc materia pluribus jam tacta sit, nec ut iis diutius inhareamus, instituti nostri ratio permittat. Euolui in aliis possunt B. PFEIFERUS, u) B. LOESCHERUS, x) Cel. SCHULTENSIUS y) aliique, apud quos fitim suam quisque restringere poterit.

§. XXXII.

t) Pag. III.


x) In Casibus L. H. passim.

u) In Critica S. V. T. Sect. II. quæst. III. p. m. 186 sq.

y) De defectibus hodiernis L. H.

## §. XXXII.

Verbulo denique tangendus est *Fructus* ille, quem *assidua Scriptorum Orientalium Lectio*, pro Sacris interpretandis præbet. Sic ergo hac uia defectus cognitionis nostræ in Hebraicis refarciuntur; linguæ Analogia tuetur; Radices significatus suos ueros, proprios, figuratos recipiunt, Syntaxis, quæ anima Grammatices dici solet, non incertis uagisque regulis nitetur, sed longe certius firmissime habebit fundamentum. Et, ut uerbo dicam, Lingua Hebræa antiquam suam puritatem, pulcritudinem atque perfectionem rite sibi restitutam habebit, Viaque ad notitiam ejus interiorum sic omnibus feliciter ineunda patebit.



PRÆSTANTISSIMO

## DISSERTATIONIS AUCTORI

S. P. D.

P R Æ S E S.

Coronidem diligentia Tuæ in Studiis apud Nos præstitæ erudita hæc Opella Tua imponis, quam Tuam jure appellare possum, licet pro singulari, qua polles, modestia nomen Auctoris in fronte Dissertationis tacueris. Quod enim mihi forte in toto opere tribuere possum, id certe tanti non est, ut titulum Auctoris mihi inde uindicare queam. Etenim materiam me Tibi ad elaborandum commendasse, saltem eam approbasse; cogitata Tua, antequam prelo committerentur, me perlegisse; ordinem eorundem hic illic immutasse; phraseologiam aliquando accuratius definiuisse; adminicula tandem Studio Tuo inseruientia supeditasse: hæc omnia promerita laudi Tuæ nihil detrahent, neque ejus sunt momenti, ut mihi hunc foetum adscribendum habeam. Sed qui non sine timiditate quadam opus hocce aggressus es, eandem ipso confecto non in totum abjecisse uidebaris, atque, si egregium quid præstitisses, Præceptorum Tuo potius, quam Tibi ipsi, quæ animi Tui indoles & uirtus est, tribuere uolebas. Verum quum omnes, qui Te norunt, probe sciant, quanta assiduitate & industria literis incubueris, atque Te

E 2

propter



propter ea ualde ament, injuriosius in Te essem, si, quod modestia Tua tacere uoluit, neque ego publice declararem. Lator ego, mihi que maxime gratulor, Auditorem me ejusmodi in Te habuisse, quem summa cum laude ex Scholis meis dimittere possum. Proinde laudes, ex erudito hocce studiorum Tuorum Specimine certo certius reportandas, Tibi ex animo gratulor, si uel applausu eorum, contra quos forte egisti, non ubique sis gauisurus. Ita namque in Orbe Erudito fere agitur, ut calculo eorum digni uideamur, quorum sententiam fecimus nostram; eorum uero reprehensionem incurramus, a quibus discedimus. Tu uero hac de causa animum non abjice; sed eodem nisu in posterum quoque contende, neque encomiis, applausuque Eruditorum eris destitutus. Summum autem Numen Studia Tua ubique sic regat, ut in commodum Ecclesie, totiusque orbis literati aliquando cedant. Comitetur Te prouida Ejus cura, omniaque, quae cursum Studiorum Tuorum feliciter conficiendum detinere possint, auertat clementissime. Vale  
 VIR DOCTISSIME, meque ad quauis officia, Tibi, pro uiribus, praestanda, paratissimum fore, Tibi persuade. Dabam Gedani ad  
 d. xxvii. M. Julii A. R. S. cld Idccc lvii.

NOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO  
 FRANCISCO JACOBO SCHALCK  
 AMICO LONGE AESTUMATISSIMO

S. P. D.

FRIDER. AUG. DESCHNER, SAX.

S. S. TH. ST.

Opp.

Ascendis hodie in cathedram, *Amice suauiissime*, & quam de Te multi habuere spem maximam, non inanem fuisse, ostendere studes. Est quidem, quod suscepisti, opus satis arduum, quod omnes fatentur, qui, quam multa didicisse oporteat sanctioribus illis scientiis deditos, sciunt.  
 Quod,

Quod, quamvis fit maximum, a proposito tamen Te retinere non potest, quia in addiscendis, quæcunque opus erant, maximam Solertiam adhibuisti atque Industriam. In omnibus hoc fecisti, quibus opera danda erat, potissimum uero in linguis illis, in quibus traditæ nobis sunt sacræ literæ, quarum notitia eo magis necessaria est, quo magis hoc tempore a plurimis sperni solet & negligi. Elegisti hoc genus eruditionis, quo publice demonstrares, quam bene hucusque sis tempore usus, quamque multa de Te expectare adhuc Ciues possint Tui. Cujus rei me Testem esse uoluisti, quare etiam iussisti, ut, quæ de *Via*, qua *ad Notitiam interiorum linguarum Originalium præsertim Hebrææ* peruenire licet, asseris, examinem, illisque, quantum possem, contradicam. Hoc ambabus arripui manibus, (quis enim recusaret?) nihilque mihi potius fuit, quam ut uoluptatis particeps fiam, quam de laude, quæ maxima Tibi deesse non potest, es percepturus. Bene intelligo, quantum his rebus me Tibi obstringas, quantumque hoc Tuæ erga me uoluntatis & amicitia fit indicium; quod grata mente semper memoria tenebo. Optima Tibi quæque apprecor, summumque illud Numen imploro, ut quæcunque agis, fausta & felicia esse uelit. Istud Te ubique comitetur, & quod gratissimum Tibi est, in studiis, ad quæ animum applicas, successus largiatur prosperimos, ut exinde fructum aliquando capias amplissimum. Vale.

---

NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO  
RESPONDENTI,  
HUIUS DISSERTATIONIS AUCTORI.

AMICO DILECTISSIMO.

S. P. D.

JOHANNES RENNER. GED.  
Opp.

Gratulor Tibi *Viam ad interiorum linguarum originalium notitiam* monstranti, simulque DEum precor, ut aliis facem præferas, qua adjuti,



adjuti, pleniorē clarioremque Hebrææ linguæ intelligentiam nanci-  
 scantur. Dolendum enim, tot reperiri sacris literis operam nauantes, qui  
 hac luce destituti diuina oracula magis obscurant, quam explicent. Ipse  
 B. LUTHERUS nauici facit ejusmodi homines, qui sacri Codicis abdita  
 rimentur, citra necessariam Linguæ ejusdem cognitionem. Sed hic Gram-  
 matici certant, & adhuc sub judice lis est, quæ aliis præferenda in hunc  
 scopum Via sit. Tu, Doctissime Propugnator, *Grauiissimi Præsidis* Tui in-  
 structus præceptis, hunc nodum Gordium soluere es annisus. Faxit  
 DEus, ut institutum hocce in incrementum literaturæ hebrææ, Tuiue  
 apud *Patronos* commendationem cedat. Sic fiet, ut exacto feliciter cur-  
 riculo academico reuertaris literarum Orientalium cognitione egregie im-  
 butus, diuina oracula populo explices quam solidissime. Vale & faue.  
 E Museo die XXX. Jul. MDCCLVII.

### AMICE DILECTISSIME!


Jam in eo es, ut dissertationem elegantissimam, Tua meditatione ela-  
 boratam, strenue defendas, confectaque pugna VICTOR abeas. Præter omnem spem obtulisti mihi Spartam Aduersarii, quam lubenter  
 etiam in me suscepi, certo persuasus, Te mecum acturum pro humani-  
 tate Tua, mihi, omnibusque, quibus Te nosse datum est, satis  
 cognita. Cæterum instans iter Tuum felix faustumque, uitam in aca-  
 demiis prosperrimam, fortunam nunquam aduersam, reditum denique  
 ad nos pariter felicissimum TIBI ex animo apprecor. Orbi autem lite-  
 rato & ecclesiæ VIRUM DOCTISSIMUM jam in antecessum gratulor.  
 Ita VALE mihi que faue

Dabam die XXIII. Julii

A. R. S. MDCCLVII.

CHRISTIAN. KASCHUB, GED.

TH. ST. Opp.
















umenta, floruit. Præcipuus quidem ejus dux hac in  
 AS BEN GAANACH, quippe quem, teste POCOKIO,  
 cujus tamen scripta lucem publicam non adspexerunt.  
 tionem Literaturæ Hebrææ eo, quo KIMCHIUS uixit  
 us, ipsamque methodum, qua in adornando Lexico  
 curatius consideramus, fieri nequit, quin animaduer-  
 , in Eum factas, probemus, Eumque fontem, ex quo  
 n significationes tuto hauriendæ sint, dici haud posse,  
 e nemo id affirmabit, se hoc duce Biblia sacra penitus  
 d interiorem dictionis Hebrææ indolem penetrare pos-  
 MCHIUM excipiunt, Judæi & Christiani, omnes fere  
 ntur, atque adeo non pluris faciendi erunt ipso eorum  
 uando assero, promeritis KIMCHII aliorumque Erudi-  
 il uel detrudere, uel judex de Viris, longe supra nos po-  
 d aliorum Eruditorum judicio me hic insistere confiteor.

§. XXIX.

e nunc inquirimus, undenam tandem sua, quæ poste-  
 auferint Lexicographi Hebræi, mox patebit, eos ultra  
 aicæque linguæ, quin Rabbiorum auctoritatem, stu-  
 endisse, nonnunquam tamen, necessitate quasi adactos,  
 nine ufos esse. Quantum uero hic Talmudistarum au-  
 cus BUXTORFIUS o) nos docere poterit, qui rafi-  
 ficatum a famula Arabica Eos nonnunquam didicisse,  
 Chaldaica uero, monumentisque Chaldæorum super-  
 Cel. SCHULTENSIUS. p) *Quis adeo hœspes est, uo-*  
*stras peregrinantur aures, ut ei inauditum sit atque*  
*o defectu, quanta omnium rerum inopia ac paupertate*  
*n ac Syrorum, adde etiam Æthiopum & Samaritano-*  
*uel potius naufragia, tristesque reliquiæ, quam angu-*  
*rcumscripta cancellis hæ linguæ ad nos peruenerint? at-*  
*constitutum, ut infinitis in locis luce egeant aliena, ne-*  
*Hebraicæ linguæ obscuritatibus multum inseruire, atque*  
*issimum possint.* De Rabbiniis, Eorumque auctoritate  
 quum illi sint ii, qui Arabum exemplo ducti, de uo-  
 cogitarunt, & uel iisdem fontibus, uel popularium  
 placitis

R. UNO. tibus, ex quibus omnis L.H. cognitio mana-  
 u, quæ est de Fon- uit, horumque Vitiis & Defectibus pag. 15.